FACULTAD DE FILOSOFIA Y LETRAS
BIBLIOTECA
ALICANTE
Russell P. Sebold
DONACIÓN
DRPS
FA
1362
UNIVERSITAT D'ALACANT
Biblioteca Universitària
0500765008

APHORISMO
DE
HIPPOCRAT

Ex Libris

Russell Perry Sebold, III

FL DRPS FA/1362
0500765008

BIBLIOTECA DE
FERMÍN HERBERO BAHILLO

APHORISMORUM

HIPPOCRATIS

LIBRI OCTO,

Ex versione Leoniceni à Pasta recognita:

ACCEDUNT

HIPPOCRATIS PRAESAGIA

LATINE A COPO REDITA.

Cum prolegomenis et indicibus copiosissimis recudi curavit

D. A. à VALLEJO.

MATRITI 1827.

TYPIS MICHAELIS A BURGOS.

BIBLIOTECA DE
FERMÍN HERRERO BAHILLO

Hippocrates toto vitae tempore, dum alia multa opera scriberet, sententias, quae occurrebant dignae, ut in omnium studiosorum ore essent, utpote verissimae, et cum ratione, tum etiam experimento confirmatissimae, in quacunque medicinae parte essent, excipiebat, exceptasque omnes in hoc opus Aphorismorum congessit; quas ego perinde memoriter discere discipulis meis suadeo. Nam ita nulla in parte praeceptorum medicinae erunt inopes. *Vallesius, comm. sect. 1. aphor. Hipp. 1.*

In aphorismos, Praesagiaque Hippocratis Prolegomena.

Antequam ad aphorismorum explicationem transeamus, investiganda sunt quaedam: primoque quaerendum de aphorismorum praesagiorumque auctore, deinde de horunce scriptorum praestantia, post de modo quo prodita in iis dogmata sunt accipienda. Ad primum quod attinet, aphorismos, quos *Celsus* recitat, haud uno in loco *Hippocrati* tribuit. *Galenus* aphorismorum librum inter *Hippocratis* scripta genui-

na reponit. *Erotianus*, et *Suidas* in numero eorum, quae ab *Hippocrate* exarata sunt, eumdem recipiunt: Cooque eum ipsum *Hippocrati* vindicat *Oribasius* auctoritate fretus Rufi, Lyci, Pelopis, aliorumque multorum: aitque, aphorismos *Hippocratis* apud Graecos, Latinosque "ex studio» sissima *Coi* opera, et soli» cita indagine inclaruisse." Ex quo plures antiquos habuere interpretes; nam *Galenus Marinum* nominat, *Heraclidem*, *Hyerophilum*, *Bachium*, *Sabinum*, *Zeuxim*: *Oribasius Galenum* recenset, *Lycum*, *Domnum*, *Attalionem*, *Pelopem*. His ipsummet *Oribasium* addere pos-

sumus, atque *Philotheum*, omissis recentioribus, quorum tantus est numerus, ut affirmare audeat *Martianus*, "nullum »esse in re litteraria opus, »quod, plures habuerit expo» sitores, quam liber aphoris» morum." Quem tamen is ipse, *Martianus* nonnullis aliis ei suffragantibus, ex variis *Hippocratis* praeceptis mavult esse conflatum, quam ab *Hippocrate* scriptum; *cum tanti auctoris gravitati convenire non videatur, selectiores sententias hinc inde colligere, quae, si totum opus respicias, nec methodum, nec doctrinae perfectionem continent. Praeter quam quod manifeste apparet, quamplures senten-*

tias ex aliis Hipp. libris in praesens opus translatas, longe perfectiores in proprio fonte reperiri; nec paucasque esse, quae aphoristice descriptae mendatio non carent, quae juxta proprii loci descriptionem indubitatam veritatem continent. Haec ille.

At non probat, aphorismorum librum ex sententiis hinc inde descriptis fuisse confectum. Æque enim quis dixerit, aphorismos ex aphor. libris fuisse translatos in reliquos libros? Nec video cur *Hippocratis* gravitati adversetur, se dogmata, quae sparsim scripserat, in unum opus, quo facilius perdiscerentur, contulisse. Quod ipsum sci-

mus à viris praestantissimis non sine laude, atque utilitate factum. Quod si praeposteram sententiarum dispositionem *Hippocratis* famae nocere posse arbitretur: nullus eorum, qui ei inscribitur, non nocebit liber. Quorum enim quisque est reliquus, qui plane hoc vitio careat? Neque doctrinae imperfectio, quam urget, quemquam movere debet. Etenim cum aphoristice ea tradatur, id est angustis concisisque sententiis enuncietur, sic est in suo genere absoluta, atque perfecta ut non sit, quod amplius quaeratur. At haec emendationes quas ipse è propriis, ut ait, fontibus petit, exiguae porro minimaeque sunt, inque

tanto perspicuarum sententiarum numero paucae, ut nullae esse videantur. Postremo cum, non *per paucas sententias mendacio non carere*, affirmaverit, videtur potius gloriosa quam vera locutus. Nusquam enim quod dicit, probat: ac ne *Galenum* quidem, quem saepe carpit, jure semper meritoque carpit.

Ceterum siqua falsa in aphorismis occurrunt, si inania, si obscuriora, si praepostere distributa, si bis scripta, si pugnantia, qualia vel in reliquis *Hippocratis* scriptis offendimus, non est cur miremur: "cum post tot amanuensium (quorum multi sive in » transmutandis litteris vel vo-

» culis omittendis, vel in qui- » busdam marginalibus in tex- » tum admittendis culpa non » vacant) manus ad nos demum » pervenirent; cumque potis- » simum inventi sint, qui au- » si sunt complura in vetustis- » simis scripturis immutare, iis- » que non pauca de suo ad- » dere: quorum nonnulla *Ga- » lenus* ex se rejicere conatus » est, nonnulla quoque ex » probatissimorum interpretum » auctoritate, qui quaecumque » ab *Hippocratis* mente, et » elocutionis modo defficerent, » optime callebant."

Tanta porro est aphorismorum praestantia atque utilitas, ut nisi credere velimus, aphorismorum librum, ut

ὑπερβολικᾶ *Suidas* scripsit *humani vim ingenii superare*: ratas tamen firmasque laudes habere debeamus, quas *Martianus* iis tribuit, inquiens: *inter omnes libros, qui Hippocratis* nomine *inscribuntur, praesens opus aphorismorum omnium consensu principatum tenet. In eo enim praeclariores sententiae comprehenduntur, quae per universam Asclepiadum doctrinam disseminatae eam illustrant et exornant, in unum redactae hoc opus nunquam satis admirandum constituunt.* Et sane quidquid praeclarius *Hippocrates* observatione diuturna notaverat, quidquid sparsim scripserât, quiquid à praeceptoribus traditum, atque à majoribus acceptum, respondere didicerat, in unum librum contraxit, quem *Sorânus* partes divisit in tres, Rufus in quatuor, *Galenus* in septem: quarum quintam partem bifariam distribuit *Oribasius*, ut sextum librum muliebria constituant; inque eo duos interjecit aphorismos prorsus vanos absurdosque, qui in ceteris exemplaribus non leguntur impressis.

Germana porro *Coi* effata septem hisce libris comprehensa, egregia quidem sunt omnia, sed alia aliis prestantiora. Miranda plane sunt praecepta de victu aegrotantium, quae prima aphorismorum sectione tra-

duntur. Ea quippe natura dictasse videtur *Hipocrati*: nam cibi fastidium, quod ferme morbum comitatur vigentem, naturam cibum aversari, aegriusque coqui ac digeri ea quae ingesta sunt, indicat; perturbataque nos docet natura victum per id temporis esse subtrahendum: incipiente vero morbo, aut jam inclinato, quibus temporibus minor esse solet cibi adversatio, majorque robur ventriculi, exhibendum esse paulo pleniorem. Plurimi quoque facienda sunt dogmata, quae de purgatione ad acutos morbos adhibenda produntur. Haec namque, cum purgationem, nisi materia turgeat, dissuadeant, materiam-

que ut plurimum non turgere declarent, una praecipiunt, ut plurimum à purgatione nobis esse cavendum. Quod si hujuscemodi praeceptis addideris, nusquam *Hippocratem*, ubi de acutis peracutisque agit morbis, sanguinis detractionem nominasse: victus vero rationem saepe fusiusque fuisse persecutum (nam et θεραπεῖαι *curationes* victum significant, auctore *Oribasio*, I. *aphor.* 5.) facile intelliges eundem *Hippocratem* vetustiorum *Ægyptiorum Pythagoreorumque* fere institisse vestigiis, quibus praecipuum erat diaeta ad morbos remedium. Quae sane medendi methodus, qua natura nec importuno victu oneratur,

nec medicamentis à coctione, subindeque etiam avocatur à crisi, non modo ejusmodi crises efficere poterat, ut adjutricem medici manum vix unquam exposcerent, sed etiam certiorem reddere dierum criticorum doctrinam, quam à Pythagora acceptam experimentis firmavit *Hippocrates*, nec repudiavit *Galenus*, licet ab ejusdem medicina deflexerit.

Ex quo satis *Naldium* mirari non queo medicum cubicularium *Alexandri VII* Pontificis maximi, qui minus ob cognitam, comprehensamque methodum medendi Hippocraticam, in eam miserabiliter opinionem delapsus est, ut

putaret, aphorismos *Hippocratem* non ad medicos scripsisse erudiendos, sed ad eos instruendos, qui interea dum medici abessent ab aegrotante, eidem ii operam studiumque navarent.

Itaque et se tenuit *Hippocrates*, quin naturae motus, quorum vim magnam in morbis curandis pernoverat, prohiberet, et ejusdem conatuum mutationumque spectator venatorque diligens, internoscendorum morborum notas, signaque, è sputis, sudoribus, urinis, dejectionibus, multisque ex aliis tradidit, quibus perniciosa secerni à salutaribus possent. Longe vero ceteris excellunt ejusdem praesagien-

di praecepta, quippe quae vel ab iis optima judicata sunt, qui *Hippocratica* curandi monita institutaque mutarunt. Atque ea quidem hic loci strictim summatimque traduntur, articulatim vero distincteque in libro praesagiorum: qui cum ceteris scriptis, qui *Hippocratis* nomine inscribuntur, ordine et gravitate plurimum praestet, nemo est, inquit *Mercurialis lib. progn. pag.* 85. "qui *Hippocratis* esse neget; immo vero, si quid est, in quo ipsum admirari oporteat, plane haec pars est, quam omnes veteres medicos et maxime coluisse, atque in ea excelluisse constat." Hunc porro librum partes in

tres divisit *Galenus*: in quorum singulis, ex certis signis multorum morborum qui acuti nominantur, natura describitur, et longe plurima praecepta dantur salutarem mortiferumque reliquorum exitum, brevemque et longum, facilem difficilemque praenoscendi.

Atque utinam *Cous* signa ex pulsu addidisset, quibus futura praenunciare possemus. Sed nobis ea reticuit, aut quia ipsi minus nota perspectaque fuerint, aut quia fallaciora esse crederet, quam ea quae ex aegrotantis spiritu, multisque ex aliis duxerat. Plurimi tamen esse facienda ex pulsu signa, nemo ignorat, qui satis sit in medicorum artibus exer-

citatus. *Celsusque* ipse quamvis fallacissimas res venas nominet, iis tamen credidit.

Legimusque, ante ipsum medicos signa ex pulsu consuluisse ad futura praenoscenda. Quin ante *Praxagoram*, Herophilumque, à quibus maxime de pulsibus est elaboratum, *praedictorum* auctor, venarum contrectationem valere ait ad errores devitandos. Vix enim *ulla perpetua praecepta medicinalis ars recipit.* Ut injuria quidem perstringat *Capuanus Hippocratem* (ecquando autem non injuria perstringit?) quod observaverit omnibus omnino febricitantibus victum non convenire humidum: nec lethalem semper esse morbum in

gravida muliere acutum; nec inediam senes sustinere universos: nec elapsum per vulnus omentum perpetuo putrescere; nec quotidie febrem quamlibet discuti, eam licet quotidie excipiat rigor; nec semper citius finiri pleuritidem, in qua per initia excreatur, aliaque his similia. Quorum singula, reliquaque omnia, quae in aphorismorum praesagiorumque libris occurrunt, praecepta, si vix ulla excipiantur, quae inania falsaque sunt, ac admodum probabiliter, aut interjecta et adulterina, aut depravata; nemo ignorat, non esse accipienda; ut perpetuae aeternaeque ve-

ritatis dogmata, sed ut observata, quae ut plurimum vera esse res ipsa atque eventus ostendit, summorumque hominum evincit auctoritas. Quid enim impudentius *Sinapio*? (nam, Verderius audiri non debet, quia secreta artis ignorat. *Bartholin. sent. 3. epist. med.* 4.) qui in praefatione tractatus, cui titulus; *Absurda vera* (rectius dixisset, *vere*) *et paradoxa de vanitate, falsitate, et incertitudine aphorismorum Hippocratis, libri* 1., 2., 3., 4. ausus est effutire, observasse se ut plurimum fallere aphorismos plurimos. Idque ut probet, singulis aphorismis notas apposuit vanis, falsis, incertis-

que refertas sententiis, captiosisque ratiunculis, quas nemo prudens sine fastidio legerit, nedum refellere cogitaverit; cum *Hippocratis* observationes facile se per se ipsas defendant contra calumniatores quoscumque.

Ut igitur quaedam eorum, quae generatim attigimus, particulatim explicemus, sciendum est I. generale praeceptum esse, auctore *Jacotio, comm. coac. pag.* 247. "signa »omnia quae boni aliquid, »aut mali certo praenunciant, »firma et constantia esse de»bere." Nam et singultus nisi *sit frequens, et praeter consuetudinem continuus*, hepar non indicat inflammatum:

et strangulatio sine tumore, nisi perstiterit, febricitantem non tollit: laboremque somnus si semel tantum atque iterum faciat, mortem non praemonstrat futuram.

II. Ubi aut suppuratio dicitur expectanda, sive ob hypocondriorum tumorem, sive ob destilationem, sive ob dolorem ventris diuturnum, aut abscessus praedicitur futurus, aut ex torminibus hydrops praenuntiatur, aut quid aliud scribitur hujusmodi; subjiciendum omnino est, *Galeni* judicio *nisi morbus hominem morte praeripiat.*

III. Non ignorandum, convulsionem tam ex vulnere, quam ex epoto veratro ortam

non ideo lethalem appellari, quia perpetuo mortem afferat aegrotanti, sed quia periculosa res est, morteque saepius finiri solita. Idem de quocunque alio morbo, morbique signo, quod lethale esse dicitur, judicium esto.

IV. Neque singula, quae lethalia dicuntur, sunt aequaliter metuenda, sed alia aliis periculosiora, magisque mortifera. Etenim nonnullos ex atrae bilis exitu convalescere observavimus morbo ineunte: vix ullos eodem protracto, quum extenuata confectaque sunt corpora. Lethaliaque cerebri, septi transversi, ventriculi, intestinorum, vesicae, jecorisque vulnera interdum

sanata fuisse novimus, numquam vero cordis, quae in sinus penetrassent.

V. Caussae manifestae vim signis detrahunt, observante *Vallesio, comm. in Hipp. tom. 2. col. 325.* Nam dentium stridor, si consuetus accedat ad febrem, periculum minuit, quod creat insolitus. Metumque extenuat, si cui palpebrae non committuntur per somnum, consuetudo dormiendi non commissis palpebris. Sine periculo quoque est pulsus perquam concitatus, exiguusque atque intermittens in eo, in quo talis inest per bonam valetudinem proprietas pulsus. Neque nos terrere debet frigidus frontis, facieique sudor acutis

in febribus, quandoquidem frigus contrahat sudor ab aere, locisque frigidis. Neque perturbatus somnus in iis, qui cum sani sint, conqueri, vociferare, exurgere, aegrius spirare, timere, conccutique solent per somnum. Nec demum anxietas, corporisque jactatio ac pedum brachiorumque inconcina projectio, ubi haec ipsa, aut ab aeris aestu, aut à teneriore quadam molliorique vi animi proficiscuntur. *Sunt enim quaedam*, ait Celsus *lib. 2. cap. proprietates hominum*, sine quarum *notitia non facile quicquam in futurum praesagiri potest.*

VI. Lethali cuique signo vim plura addunt, detrahunt-

que. Ac primo morbi qui dominantur similes: quod docuisse videtur *Hippocrates*, quum inquit: *item popularium grassantium quoque morborum impetum observare oporteret.* Etenim vagantibus salutaribus morbis signa non perinde terrent lethalia, ac si grassentur mortiferi. Nam per id temporis ne bonis quidem fidendum est signis. Deinde etiam sputorum, dejectionum, urinarumque ratio. Si quidem cruditate vigente, quum acutis in febribus urina fulva tenuisque profunditur, aut in pleuritide sputum tenujus, album, rotundum, spumosumque redditur, taliaque diutius permanent, lethalia

pluris aestimanda sunt signa, quam si dejectio crassescat, sputumque aequale laeveque fiat, celeriterque feratur ac facile; atque in urina perpetuo album rubrumve sedimentum, laeve tamen aequaleque resideat. Haec enim coctio appellatur, quae salutarem crisim, signorumque pravorum mitigationem recessumque promittit: cum è contra cruditas aut nullam crisim, aut malam procreet, qua signa fiunt deteriora, ingravescit aut recrudescit morbus, saepeque etiam homo moritur.

VII. Considerare quoque oportet signa comitantia, et subsequentia reliqua. Id namque quod malum est, ma-

jus malum efficitur, quod lethale, multo evadit lethalius signorum accessione lethalium. Contra, salutaribus notis unum quodpiam lethale signum comitantibus, aut consequentibus, ita vis ejus extenuatur, ut brevi saepe conquiescere soleat; aut, si persistat, morbum quidem producere, perraro autem aegrotantem occidere valeat. Nec sine causa. Nam vix una quaepiam pars corporis graviter aegrotat, quin ob cognationem consensumque mirabilem plures aliae percellantur, afflictaeque ipsius unius partis signo, sua quaeque pars reliqua adjiciat indicia.

VIII. Idcirco, qui recte pernoscere futura desiderat,

non modo consideranda sunt ei signa, variaeque expendendae singulorum vires, sed etiam bona conferenda cum bonis, vicissimque bona cum malis, et mala comparanda cum bonis. Hoc quippe modo praedictio, si ad scientificam non evehitur certitudinem (ecquis enim ex conjecturali arte praecepta exquiret perpetua? "cum »ne finitte quidem vitae De»mocritus satis certas notas »esse proposuit, quibus me»dici credidissent"; certior profecto evadet, longeque perfectior. Quod si ne sic quidem fieri potest, quominus à medicis deserti doctissimis interdum convalescant, inque spem erecti moriantur homines; est

tamen danda fides praeceptis ab *Hippocrate* traditis. Praeclare enim *Celsus*: *Non itaque si quid, vix millesimo in corpore, aliquem decepit, id fidem non habet, cum per innumerabiles homines respondeat.*

APHORISMI

Ad Febres attinentes.

Sect.	Aphor.
De Tertiana.	
3	21
4	43
	59
De Quartana.	
2	25
3	21
	22
5	71
De Quotidiana.	
3	17
4	63
De Causone.	
3	21
4	54
	58
6	16
De Febre acuta.	
1	74
2	19
	23
3	7
	9
	11
4	37
	66
5	65
6	54

Sect.	Aphor.
7	1
De Febribus longis.	
2	25
	28
3	16
	27
4	36
	44
	51
	53
5	65
De Febre continua.	
3	21
4	43
	46
	47
	48
	49
	50
	56
7	66
	76
	77
De Febre intermittente.	
1	11
	12
4	30
	43
	59
	63
De Sudore febrium.	
1	12
3	6
	21
4	36
	37
	56
De Rigore febrium.	
4	29

Sect.	Aphor.
	46
	58
	63
5	17
	20
De Convulsione in febribus.	
2	26
4	57
	67
	66
	65
	1
	87
De Reliquis symptomatibus febrium.	
2	28
4	27
	31
	34
	44
	47
	48
	49
	50
	51
	52
	53
	54
	55
	60
	61
	62
	64
	65
	66
	67
	68
	69
	73
5	56
	65
6	26
3	

Sect.	Aphor.	Sect.	Aphor.
	44	*De Victu febricitantium.*	
	50		1 11
	51		14
	54		16
7	32		19
	38	4	17
	44		27
	54	5	65
	69	6	3
		7	69

Aphorismi ad morbos particulares spectantes juxta ordinem à Rasi in 9. ad Almansorem observatum.

Sect.	Aphor.	Sect.	Aphor.
De Dolore capitis			17
3	13		23
		4	70

Sect.	Aphor.	Sect.	Aphor.
5	22		23
	28		56
	65	7	5
6	10		42
	51	*De Phrenitide.*	
7	14	3	36
De Lethargo.		4	72
3	30	7	12
De Apoplexia.		*De Desipientia.*	
2	42	6	53
		7	5
3	16		7
	23		9
	31		10
6	57		14
7	60		18
De Melancholia.			25
3	20	*De Delirio.*	
	22	2	2
4	9	*De Morbo comitiali.*	
6	11		
	21	2	45

Sect.	Aphor.
3	16
	20
	22
	29
5	7
De Affectibus nervorum, et primo de convulsione	
2	26
3	25
4	16
	57
	66
	67
5	1
	2
	3
	4
	5
	6
	21
	22
	25
	57
	66
	71
	39
	56
7	9
	10
	13
	18
	26
De Stupore.	
7	14
	41
De Affectibus oculorum.	
3	12
	14
	17
	31
4	39

Sect.	Aphor.
	52
6	31
	52
7	3
	48
De Affectibus aurium.	
3	5
	17
	21
	24
	31
4	28
	49
	60
6	10
De Affectibus narium.	
2	40
3	13
	14
	20
	27
	31
4	25
	27
	49
	60
	74
5	33
	49
	60
6	2
De Sternutatione.	
5	35
6	13
7	52
De Affectibus oris, et linguae.	
3	21
	24
6	32

Sect.	Aphor.
	7 41
De Affectibus dentium.	
	3 25
	4 53
	5 18
De Affectibus gingivarum, et labiorum.	
	3 25
	4 49
De Affectibus gutturis.	
	2 43
	3 16
	20
	22
	4 34
	35
	5 10
	6 37
	7 51

Sect.	Aphor.
De Affectibus pectoris, et pulmonis, et primo de anhelitu.	
	3 22
	23
	26
	30
	31
	4 34
	50
	68
De Tussi.	
	2 40
	3 5
	13
	20
	24
	31
	4 54
	5 24
	6 35

Sect.	Aphor.
	46
	7 49
De Voce.	
	5 5
	6 51
	7 60
De Sputo sanguinis.	
	3 29
	4 25
	5 13
	6 10
	7 15
De Pleuritide.	
	1 12
	3 23
	5 8
	15
	6 5
	16
	33
	7 11

Sect.	Aphor.
De Peripneumonia.	
	3 23
	30
	6 16
	7 11
	12
De Empyemate.	
	5 8
	10
	15
	20
	66
	6 41
	7 20
	23
	39
	46
De Phthisi.	
	3 13
	22
	29

Sect.	Aphor.
4	8
5	9
	11
	12
	13
	14
	15
	65
6	12
7	16
De Affectibus cordis.	
2	36
	41
4	17
	16
5	57
6	18
7	8
De Affectibus mammarum.	
5	37
	38
	39
	40
	50
	53
	54
De Affectibus ventriculi	
1	2
	15
4	65
6	7
	18
7	23
	56
De Siti.	
2	11
4	19
	48
	54
5	27
	65

Sect.	Aphor.
De Vomitu.	
1	2
3	21
	24
4	4
	6
	7
	8
	12
	13
	17
	18
	22
	25
5	32
6	15
7	3
	8
	10
	38
	74
De Singultu.	
5	3
	4
	59
6	53
	39
7	3
	10
	17
	43
De Affectibus Hypochondriorum.	
4	64
	73
5	65
6	40
De Affectibus hepatis.	
5	59
6	18
	42

Sect.	Aphor.
7	17
	47
	54
	57
De Hydrope.	
3	22
4	11
6	8
	14
	27
	35
7	5
	49
	57
De Icteritia.	
4	62
	64
5	73
6	42
De Affectibus splenis.	
3	22
6	43
	48
De Pro fluviis alvi.	
2	14
3	16
	25
	30
4	21
	22
	23
	24
	26
	28
5	12
	14
	34
	66
6	3
	15
	16
	17

Sect.	Aphor.
	32
	43
	48
	52
7	5
	24
	41
	79
	80
	82
De Lienteria.	
4	12
6	1
	43
7	80
De Iliaca passione.	
3	22
6	44
7	10
De Dolore ventris.	
1	2
4	11
	66
6	5
	7
7	23
	27
	40
De Affectibus ani.	
3	30
4	25
6	11
	12
	21
De Affectibus renum.	
3	31
4	75
	76

Sect.	Aphor.
	78
5	59
6	6
	11
7	31
	36
	37
De Affectibus vesicae.	
3	5
	16
	22
	31
6	69
	70
	71
	72
	73
	74
	75
	76
	77
	79
	80
	81
5	22
	59
6	6
	18
	44
7	2
	34
	35
	40
	50
	56
De Affectibus pudendorum.	
3	21
5	22
	63
6	19

Sect.	Aphor.
De Affectibus uteri.	
3	12
	41
	28
4	1
5	22
	28
	29
	30
	31
	32
	33
	34
	35
	36
	37
	38
	39
	41
	42
	43
	44
	45
	46
	47
	48
	49
	50
	51
	52
	53
	54
	55
	56
	57
	58
	59
	60
	61
	62
6	29
7	28

Sect.	Aphor.
De Affectibus articulorum.	
3	16
	20
	31
4	20
	31
	44
	45
	74
5	25
6	28
	29
	30
	46
	49
	55
	59
	60

Aphorismi ad Morbos, qui externi esse dicuntur, pertinentes, et ad chirurgiam maxime convenientes.

Sect.	Aphor.
De Affectibus capillorum.	
5	11
6	28
	34

Sect.	Aphor.
De pustulis.	
3	20
6	9
De Tumoribus praeter naturam.	
4	34
	35
5	25
	66
	67
	68
6	37
7	51
De Inflammatione.	
3	24
5	23
	59
6	40
De Sphacelo, sive gangraena.	
7	52
De Erisipelate.	
5	23
	43
6	25
7	29
	20
De Herpete.	
5	22
De Strumis.	
3	26
De Cancro.	
6	38
De Bubonibus.	
4	55
De Tuberculis.	
2	15
3	20
	26
4	44

BIBLIOTECA DE
FERMÍN HERRERO BAHILLO

Sect.	Aphor.
	45
	82
7	8
	59
De Verrucis.	
	26
De Vulneribus.	
5	2
	67
	18
	19
De Ulceribus.	
3	20
	21
	24
4	75
5	20
	21
	22
	23
	66
6	4
	8
	45
7	22
De Fracturis ossium.	
5	22

FINIS.

HIPPOCRATIS
JUSJURANDUM

VERTENTE FOESIO.

Per Apollinem Medicum, et Æsculapium, Hygiamque, et Panaceam jurejurando affirmo, et Deos, Deasque omnes testor, me quantum viribus et judicio valuero, quod nunc juro, et ex scripto spondeo, plane observaturum. Praeceptorem quidem qui me hanc artem edocuit, parentum loco habiturum, eique cum ad victum, tum etiam ad

usum necessaria, grato animo communicaturum, et suppeditaturum. Ejusque posteros apud me eodem loco quo germanos fratres fore, eosque si hanc artem ediscere volent, absque mercede et singrapha edocturum. Praeceptionum quoque et auditionum, totiusque reliquae Disciplinae, cum meos et ejus qui me edocuit liberos, tum Discipulos qui Medico jurejurando nomen fidemque dederint, participes facturum, aliorum praeterea neminem: Victus quoque rationem quantum facultate et judicio consequi potero, aegris utilem me praescripturum. Neque cujusquam precibus adductus,

alicui medicamentum lethale propinabo, neque hujus rei auctor ero. Neque simili ratione mulieri pessum subditium ad foetum corrumpendum exhibebo: Sed castam et ab omni scelere puram, tum vitam, tum artem meam perpetuo praestabo. Neque vero calculo laborantes secabo, sed magistris ejus artis peritis id muneris concedam. In quamcumque autem domum ingressus fuero, ad aegrotantium salutem ingrediar, omnem injuriae inferendae et corruptelae suspicionem procul fugiens, tum vel maxime rerum venerearum cupiditatem erga mulieres jux-

ta ac viros, tum ingenuos, tum servos. Quæ vero inter curandum, aut etiam medicinam minime faciens, in communi nominum vel videro, vel audiero, quae minime in vulgus efferri oporteat, ea arcana esse ratus silebo. Hoc igitur jusjurandum si religiose observavero, ac minime irritum fecero, mihi liceat cum summa apud homines existimatione perpetuo vitam felicem degere, et artis uberrimum fructum percipere. Quod si illud violavero et pejeravero, contraria mihi contingant.

APHORISMORUM

HIPPOCRATIS

SECTIO I.

I. Vita brevis, ars longa, occasio praeceps, experimentum periculosum, judicium difficile. Nec solum se ipsum praestare oportet opportuna facientem, sed et aegrum, et assidentes, et exteriora.

II. In perturbationibus ventris, et vomitibus spontaneis, si *qualia* oportet purgari, purgentur, confert, et leviter ferunt; sinminus, contra. Sic et vasorum inanitio, si *quidem* fiat,

qualiter fieri debet, confert, et bene tolerant; sin minus, contra. Inspicere itaque oportet, et regionem, et tempus, et aetatem, et morbos, in quibus conveniat, aut non.

III. *Corpora* exercitatorum, qui summum bonitatis attingunt, *periculosa*, si in extremo constiterint: neque enim possunt in eodem statu permanere, neque quiescere; cum vero non quiescant, nec possint proficere in melius; reliquum est igitur, ut decidant in deterius. His de causis bonum habitum statim solvere expedit, ut rursum corpus nutriri incipiat; neque compressiones ad extremum ducendae; periculosum enim; sed qualis natura fuerit ejus, qui debet perferre, ad hoc ducere convenit. Sic et evacuationes, quae ad extremum deducunt,

periculosae; et rursus refectiones, cum extremae fuerint, periculosae.

IV. Victus tenuis, atque exquisitus, in morbis quidem longis, semper; in acutis vero, in quibus non convenit, periculosus. Et rursus, qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis est: nam et repletiones, quae ad extremum deveniunt, graves sunt.

V. In tenui victu aegri delinquunt, quo fit, ut magis laedantur. Quicunque enim error committitur, major in hoc fit, quam in paulo pleniori victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valde exquisitus victus, et constitutus, quoniam errores gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus eo, qui sit paulo plenior, magis periculosus.

VI. Extremis morbis extre-

ma exquisite remedia optima sunt.

VII. Ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, et extreme tenuissimo victu utendum est. Ubi vero non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis *remissior fuerit*.

VIII. Quando morbus in suo vigore constiterit, tum victu tenuissimo utendum est.

IX. Conjectari autem oportet, an aeger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat, et nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, vel morbus ante deficiat, atque hebetescat.

X. Quibus igitur statim morbus consistit, his statim tenuis victus adhibendus est: quibus vero posterius debet consistere,

his, et in ipso consistendi tempore, et parum ante illud, cibus subtrahendus: prius vero uberius agendum, ut aeger sufficiat.

XI. In accessionibus abstinere oportet; nam cibum dare nocuum est; et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

XII. Accessiones vero, et constitutiones morbi indicabunt et anni tempora, et circuituum successiva incrementa, sive quotidie, sive alternis diebus, sive per majora intervalla fiant. Sed et ex his, quae mox apparent, indicia sumuntur; quemadmodum in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breviat: si vero postea appareat, producit. Et urinae, et alvi excrementa, et sudores, et quaecunque apparuerint, vel

bonam morborum judicationem, vel malam, vel breves, vel longos fore morbos ostendunt.

XIII. Senes facillime jejunium ferunt: secundo loco, qui aetatem consistentem habent, minus adolescentes, omnium minime pueri, praesertim qui inter ipsos sunt vividiores.

XIV. Qui crescunt plurimum habent calidi innati; plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absumitur. Senibus vero parum calidi innati inest; paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutae fiunt; frigidum enim eorum corpus.

XV. Ventres hieme, et vere natura calidissimi sunt, et somni longissimi; quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor

innatus plurimus est; unde et pluribus egent alimentis; indicio sunt aetates, et athletae.

XVI. Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime vero pueris, et aliis, qui tali victu uti consueverunt.

XVII. Et quibus semel, aut bis; et quibus plura ne, an pauciora, *et per partes* oporteat afferre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, *et regioni*, et aetati, et consuetudini.

XVIII. Æstate, et autumno cibos difficillime ferunt, hieme facillime: secundum locum ver habet.

XIX. His, qui per circuitus accessionem habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere de cibis ante *judicationem*.

XX. Quae judicantur, et judicata sunt integre, neque mo-

vere, neque novare aliquid, sive medicamentis, sive aliter irritando, sed sinere.

XXI. Quae ducere oportet, quo maxime natura vergit, per loca conferentia, eo ducere.

XXII. Concocta *purgare*, atque movere; non cruda, *nec in principiis*, modo non turgeant; plurima vero non turgent.

XXIII. Dejectiones non multitudine sunt aestimandae; sed si dejiciantur, *qualiter oportet*, et aegri facile tolerant. Atque ubi usque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si aeger possit tolerare.

XXIV. In acutis *morbis* raro, et in principiis medicinis purgantibus uti, et hoc cum praemeditatione faciendum.

XXV. Si *qualiter* oportet purgari, purgentur, confert, et facile ferunt; si contra, difficultet.

APHORISMORUM

HIPPOCRATIS

SECTIO II.

I. In quo morbo somnus laborem facit, mortale; si vero juvat, non mortale.

II. Ubi somnus delirium sedat, bonum.

III. Somnus, atque vigilia, utraque si modum excesserint, malum.

IV. Non satietas, non fames, neque aliud quidquam, quod modum *naturae* excesserit, *bonum*.

V. Spontaneae lassitudines morbos praenunciant.

VI. Quicunque dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non sentiunt, his mens aegrotat.

VII. Quae longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet; quae vero brevi, breviter.

VIII. Si à morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus uti significatur; quod si non assumenti cibum hoc accidat, scire oportet, quod indiget evacuatione.

IX. Corpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere.

X. *Impura* corpora quanto plus nutries, tanto magis laedes.

XI. Facilius est *refici* potu, quam cibis.

XII. Quae relinquuntur in

morbis *post judicationem* recidivas facere consueverunt.

XIII. Quibuscumque crisis, idest judicatio fit, his nox gravis ante accessionem; quae vero subsequitur, magna ex parte levior existit.

XIV. In profluviis alvi mutationes excrementorum juvant, nisi ad mala mutatio fiat.

XV. Ubi fauces aegrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. Nam si biliosae fuerint, corpus una aegrotat; si vero similes sanis, tutum est corpus nutrire.

XVI. Ubi fames, laborandum non est.

XVII. Ubi cibus praeter naturam plus ingestus est, hic morbum facit; ostendit autem sanatio.

XVIII. Eorum, quae uni-

versim, et velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones.

XIX. Acutorum morborum non omnino sunt certae praenuntiationes, aut salutis, aut mortis.

XX. Quibus juvenibus adhuc alvus humecta est, his senescentibus exsiccatur: quibus vero juvenibus adhuc alvus sicca est, his senescentibus humectatur.

XXI. Famem thorexis, idest vini *meracioris* potio, solvit.

XXII. Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio; et quicunque ex evacuatione repletio; et aliorum contrarietas.

XXIII. Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur.

XXIV. Septenorum quartus est index. Alterius septimanae octavus principium. Est autem et undecimus contemplabilis; ipse enim quartus est alterius septimanae. Rursus vero et decimus septimus contemplabilis; ipse siquidem quartus est à quarto decimo, septimus vero ab undecimo.

XXV. Æstivae quartanae magna ex parte breves; autumnales longae; et maxime, quae hiemem attingunt.

XXVI. Febrem convulsioni supervenire melius est, quam febri convulsionem.

XXVII. His, qui non ex ratione levius se habent, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quae praeter rationem eveniunt; plurima enim talia stabilia non sunt; neque multum durare, et permanere consueverunt.

XXVIII. Febricitantium non omnino leviter, permanere corpus, et nihil minui; vel etiam

plus quam ratio postulat, contabescere, malum. *Illud* enim morbi longitudinem; hoc vero *aegri* imbecillitatem significat.

XXIX. Quum morbi inchoant, si quid movendum videtur, move; quum vero consistunt, ac vigent, melius est quietem habere.

XXX. Circa initia, et fines *morborum*, omnia imbecilliora; quum vero consistunt, fortiora.

XXXI. Ejus, qui ex aegritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum.

XXXII. Omnes fere, qui male se habent, circa initia bene cibati, nec quidquam proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt: qui vero circa initia cibum prorsus non appetunt, postea bene appetentes, ii melius evadunt.

XXXIII. In quovis morbo

mente constare, et bene se habere ad ea, quae offeruntur, bonum: contra vero se habere, malum.

XXXIV. In morbis minus periclitantur, quorum naturae, aut aetati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quam quibus secundum nihil istorum congruit.

XXXV. In quovis morbo partes ad umbilicum, et imum ventrem attinentes crassitudinem habere melius est; multum vero extenuari, ac contabescere, pravum. Sed et hoc quoque ad inferiores purgationes, periculosum.

XXXVI. Qui salubritatem corporis habent, per medicamenta evacuati cito exsolvuntur, et qui pravo utuntur cibo.

XXXVII. Qui bene se habent corpore difficulter ferunt *purgationes*.

XXXVIII. Parum deterior potus, aut cibus, suavior autem, melioribus quidem, sed minus suavibus est praeferendus.

XXXIX. Seniores juvenibus, *ut* plurimum aegrotant minus: qui vero morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.

XL. Raucedines, et gravedines in valde senibus coctionem non admittunt.

XLI. Qui frequenter, ac fortiter absque causa manifesta exsolvuntur, de repente moriuntur.

XLII. Solvere *apoplexiam* fortem, impossibile *est*; debilem vero non facile.

XLIII. Strangulati, *et* dissoluti, nondum *tamen* mortui, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit.

XLIV. Qui natura admodum crassi sunt, citius intereunt, quam qui graciles.

XLV. Quicunque juvenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime aetatis, et temporum, et locorum, et victuum quoque liberantur.

XLVI. Duobus doloribus simul, *non tamen* eundem locum, infestantibus, vehementior alterum obscurat.

XLVII. Dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis, quam jam confecto.

XLVIII. In omni corporis motu, ubi laborare coeperit, quies statim lassitudinem aufert.

IL. Qui consueti *sunt* solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles, et senes, non consuetis fortibus, atque juvenibus facillius ferunt.

L. Quae ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt,

insuetis minus molestare solent. Opportet igitur *quoque* ad insueta permutari.

LI. Plurimum, atque repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, sive quovis alio modo corpus movere, periculosum; quoniam omne *nimium* est naturae inimicum. Sed quod paulatim fit, tutum est, tum alias, tum quum ab altero ad alterum transitus fit.

LII. Omnia secundum rationem facienti, si non *succedant* secundum rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo, quod à principio visum est.

LIII. Quicunque alvos humidas habent, si quidem juvenes fuerint, melius *degunt* his, qui siccas habent. Ad senectam vero deterius *degunt*; nam senescentibus magna ex parte *exsiccantur*.

BIBLIOTECA DE
FERMÍN HERRERO BAHIA

LIV. *Proceritas* corporis juventae quidem, nec indecens, neque illiberalis: senectae vero inutilis, et deterior *brevitate*.

APHORISMORUM

HIPPOCRATIS

SECTIO III.

I. Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, et in quibusdam temporibus magnae mutationes aut frigoris, aut caloris; et alia pro ratione eodem modo.

II. Naturarum, hae quidem ad aestatem, hae vero ad hiemem bene, maleve se habent.

III. Morbi quoque alii ad alia bene, maleve se habent; et quaedam aetates ad tempora, et loca, et victus genera.

IV. In temporibus, quando eadem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

V. Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput gravantes, pigri, dissolventes. Quando hujuscemodi tempestas praevaluerit, talia in morbis patiuntur. At si aquilonia fuerit, tusses, *faucium asperitates*, alvi durae, difficultates urinae, horrores, *laterum* dolores, et pectoris *fiunt*. Quando haec tempestas praevaluerit, talia in morbis expectare oportet.

VI. Quando aestas fit veri similis, sudores in febribus multos spectare oportet.

VII. In siccitatibus febres

acutae fiunt: et si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales plurimum morbos oportet expectare.

VIII. In constantibus temporibus, quum tempestive tempestiva redduntur, morbi constantes, et boni judicii fiunt: in inconstantibus autem inconstantes, et mali judicii.

IX. Autumno morbi acutissimi, atque exitiales maxima ex parte. Ver vero saluberrimum, et minime exitiale.

X. Autumnus tabidis malus.

XI. De temporibus, siquidem hiems sicca, et aquilonia fuerit: ver vero pluviosum, et australe; necesse est aestate febres acutas, et *ophthalmias*, et *dysenterias fieri*; precipue vero mulieribus, et viris, qui natura sunt humidiores.

XII. Si vero hiems australis, et pluviosa, et serena fuerit, ver autem siccum et aquilonium, mulieres, quibus partus ad ver inest, ex quacunque occasione abortiunt. Quae vero pariunt, imbecilles, et morbidos infantes pariunt: quare vel statim intereunt, vel tenues, et valetudinarii vivunt. Ceteris vero mortalibus *dysenteriae*, et *ophthalmiae* siccae fiunt. *Senibus* autem destillationes, quae cito interiment.

XIII. Si vero aestas sicca fuerit, et aquilonia, autumnus vero pluviosus, et australis, dolores capitis ad hiemem fiunt, et tusses, raucedines, atque gravedines; quibusdam autem et tabes.

XIV. Si vero aquilonius *sit*, et siccus, his qui naturam habent humidiorem, et mulieribus, conferet; reliquis autem

erunt *ophthalmiae* siccae, et febres acutae, et gravedines, nonnullis vero et atrae biles.

XV. Ex anni autem constitutionibus, quod in totum dixerim, siccitates imbribus sunt salubriores, et minus mortiferæ.

XVI. Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longae, alvi profluvia, putredines: morbi comitiales, *apoplexiae*, et anginae. In *squalloribus* autem *morbi tabifici*, *ophthalmiae*, articulorum dolores, stillicidia urinae, et dysenteriae.

XVII. Quotidianae autem constitutiones, aquiloniae quidem corpora densant, contendunt, et bene mobilia, coloratiora, et melius audientia faciunt, alvos exsiccant, oculos mordent, et, si pectus dolor aliquis obsederit, dolorem augent.

Austrinae, dissolvunt corpora, et humectant, auditum obtundunt, *caput* aggravant, vertigines faciunt, oculis, atque corporibus difficilem motum praestant, et alvos humectant.

XVIII. Per tempora anni, vere quidem, et prima aestate pueri, et qui hos sequuntur aetate, optime degunt, et sani sunt maxime. Æstate vero, et autumno usque ad aliquid senes: *reliquo autumno*, et hieme, qui mediam aetatem habent.

XIX. Morbi omnes quidem in omnibus *anni* temporibus fiunt; quidam vero magis in quibusdam ipsorum, et fiunt, et *exacerbantur*.

XX. Vere etenim furores, et *melancholiae*, et morbi comitiales, et profluvia sanguinis, et anginae, et gravedines, et raucedines, et leprae, et tusses, et

impetigines, et vitiligines, et pustulae ulcerosae plurimae, et tubercula, et articulorum dolores.

XXI. Æstate autem nonnulli horum, et febres continuae, et ardentes, et tertianae, et quartanae, et vomitus, et alvi profluvia, et *ophthalmiae*, et aurium dolores, et oris ulcerationes, genitalium putredines, et *sudationes*.

XXII. Autumno vero, et plurimi vel aestivi morbi fiunt, et febres quartanae, et erraticae, et lienes, *hydropes*, et tabes, et stillicidia urinae, et *dysenteriae*, et *lienteriae*, et coxendicum dolores, et anginae, et *asthmata*, ilei, morbi comitiales, furores, *melancholiae*.

XXIII. Hieme vero *pleuritides*, et *peripneumoniae*, *lethargi*, gravedines, raucedines, tus-

ses, dolores pectoris, et laterum, atque lumborum, capitis dolores, vertigines, et apoplexiae.

XXIV. In aetatibus autem talia contingunt; parvis, et nuper natis puerulis oris ulcera, quae aphthae vocantur, vomitus, tusses, vigiliae, pavores, umbillici inflammationes, aurium humiditates.

XXV. In progressu vero, quum jam dentire incipiunt, gingivarum prurigines, febres, convulsiones, alvi profluvia, et maxime quum caninos edunt dentes, et his praesertim pueris, qui crasissimi sunt, et alvos duras habent.

XXVI. Quum vero jam magis adoleverint, *inflammationes tonsillarum*, et *vertebrarum*, quae in occipitio sunt, *luxationes* ad interiora, asthmata, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, ver-

rucae *pensiles*, *satyriasmi*, strumae, et alia tubercula; sed praecipue antedicta.

XXVII. Grandioribus autem, et jam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his, et febres diuturnae magis, et ex naribus profluvia sanguinis.

XXVIII. Plurimae autem passiones puerulis judicantur, nonnullae quidem in quadraginta diebus, nonnullae in septem mensibus, nonnullae vero in annis septem: quaedam vero jam ad *pubertatem* accedentibus: quae vero permanserint, nec in pubertate finierint puerulis, aut foeminis, quum menstrua erumpunt, consenescere consueverunt.

XXIX. Adolescentibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutae, morbus comitialis, et alii, sed praecipue antedicti.

XXX. Ultra hanc aetatem *asthmata*, *pleuritides*, pulmonum inflammationes, lethargi, phrenitides, *febres ardentes*, diuturna *alvi* profluvia, cholerae, *dysenteriae*, *lienteriae*, haemorrhoides.

XXXI. Senibus spirandi difficultates, destilationes cum tusse, urinae stillicidia, et difficultates, articulorum dolores, renum passiones, vertigines, apoplexiae, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliae, alvi, oculorum, et narium humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graves.

APHORISMORUM

HIPPOCRATIS

SECTIO IV.

I. Utero gerentes sunt *purgandae*, si materia turget, quarto mense, et usque ad septimum; sed has minus. Juniora autem, et seniora vereri oportet.

II. In *purgationibus* talia educere è corpore, qualia et sponte prodeuntia, utilia; quae vero contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

III. Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, et leviter ferunt; contraria vero graviter.

IV. *Purgare* aestate superiores magis *ventres*; hieme vero inferiores.

V. Sub cane, et ante canem, difficiles sunt *purgationes*.

VI. Graciles, et facile vomentes, purgare superius, caventes hiemem.

VII. Vomentes vero difficulter, et mediocriter carnosos, per inferiora, caventes aestatem.

VIII. Tabidos vero, caventes ad superiores purgationes.

IX. Melancholicos plenius inferiores; eadem ratione contraria apponentes.

X. *Purgandum* in valde acutis, si materia turget, eadem die; tardare enim in talibus malum est.

XI. Quibus tormina, et circa umbilicum *cruciatus*, et lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter solvitur,

in *siccum hydropa* firmatur.

XII. Quorum alvi *lienteria* laborant, hiberno tempore supra purgare, malum.

XIII. Ad elleborum, qui non facile supra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda sunt.

XIV. Quum biberit quis elleborum, ad *motionem* quidem *corporis* ducere magis *expedit*; ad *somnum* vero, atque quietem, minus. Indicat autem navigatio turbari motione corpus.

XV. Quum volueris magis ducere elleborum, move corpus; quum vero sistere, somnum facito, et non moveto.

XVI. Carnes sanas habentibus elleborus periculosus; facit enim convulsionem.

XVII. Si quis febrem non habens abstineat à cibo, et cor-

dis morsum, *atque tenebricosam* vertiginem patiatur, et oris amaritudinem sentiat; purgatione indigere per superiora significat.

XVIII. Supra praecordia dolores purgatione indigere per superiora significant; quicunque vero inferiora molestant, per inferiora.

XIX. Qui medicamentis purgati non sitiunt, non quiescunt, prius quam sitiant.

XX. Non febricitantibus si tormina acciderint, et genuum gravitas, et lumborum dolor, purgari inferius oportere significatur.

XXI. Dejectiones nigrae qualis est sanguis niger, sponte venientes, sive cum febre, sive sine febre pessimae; et quanto colores magis pravi fuerint plures, *eo* pejus: cum medicamento vero, melius; et quanto co-

lores plures, *eo minus malum.*

XXII. Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, vel supra, vel infra exierit, lethale.

XXIII. Quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, sive quovis alio modo extenuatis, nigra bilis, sive uti sanguis niger desubter exierit, postridie moriuntur.

XXIV. *Dysenteria*, si ab atra bile incoeperit, lethalis est.

XXV. Sanguis quidem supra, qualiscunque fuerit, malus; infra autem, *niger si dejiciatur*, bonus est.

XXVI. A *dysenteria* habito si veluti carunculae exeant, lethale est.

XXVII. Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo, quacunque ex parte *fluxerit*, quum reficiuntur, alvi his humectantur.

XXVIII. Quibus biliosae *sunt* dejectiones, *iis* superveniente surditate cessant; et quibus *est* surditas, supervenientibus biliosis dejectionibus, cessat.

XXIX. Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile judicium sequitur.

XXX. Quibuscunque accessiones fiunt, quacumque hora febris dimiserit, si eadem cras occupaverit, judicium habent difficile.

XXXI. Lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, et circa maxillas potissimum abscessus fiunt.

XXXII. Quibuscunque *convalescentibus* ex morbis *pars aliqua laboraverit*, hic fiunt abscessus.

XXXIII. Sed et si ante morbum aliqua parte *doluerint*, hic morbus firmatur.

XXXIV. Si à febre habito, tumore non existente in faucibus, strangulatio repente supervenerit, lethale.

XXXV. Si à febre detento collum pervertitur, et vix potest devorare, sine ullo tumore, lethale est.

XXXVI. Sudores febricitanti si incoeperint, boni, et tertio die, et quinto, et septimo, et nono, et undecimo, et quartodecimo, et septimodecimo, et vigesimo, et vigesimo septimo, et trigesimo quarto; hi enim sudores judicant morbos. Qui vero non ita fiunt, laborem significant, *aut* morbi longitudinem, *aut* recidivam.

XXXVII. Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem; cum mitiori autem longitudinem morbi significant.

XXXVIII. Qua parte cor-

poris sudor est, ibi significat morbum.

XXXIX. Et qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus.

XL. Et ubi in toto corpore mutationes *accidunt*, *ut* si corpus refrigeretur, *et* rursus calefiat, vel color alter ex altero fiat, longitudinem morbi significat.

XLI. Sudor multus ex somno factus absque causa manifesta, corpus uti pluri cibo, significat: si vero cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet quod evacuatione indiget.

XLII. Sudor multus calidus, vel frigidus, *semper* fluens, frigidus *majorem*, calidus *minorem* significat morbum.

XLIII. Febres quaecunque, non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, magis periculo-

sae. Quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.

XLIV. Quibus febres longae, his tubercula, vel labores in articulis fiunt.

XLV. Quibus tabercula, vel in articulis labores fiunt, hi pluribus utuntur cibis.

XLVI. Si rigor incidat, febre non deficiente, aegro jam debili, lethale est.

XLVII. Excreationes in febribus non intermittentibus lividae, cruentae, foetidae, et biliosae, omnes malae: et si bene exeunt, bonae. *Sed eadem quoque est eorum, quae per alvum, et urinas excernuntur, ratio. Si quid vero, quod non juvet*, per haec loca excernatur, malum.

XLVIII. In febribus non intermittentibus, si *exterioribus frigidis, interiores partes uran-*

tur, et sitim habeat, lethale est.

IL. In febre non intermittente, si labrum, vel oculus, vel nasus, vel supercilium pervertatur, vel non videat, vel non audiat, jam debili existente corpore; quidquid horum evenerit, mors proxima est.

L. Ubi in febre non intermittente difficultas spirandi, et delirium acciderit; lethale.

LI. In febribus abscessus, qui ad primas judicationes non *solvuntur*, longitudinem morbi significant.

LII. Quicunque in febribus, vel in aliis morbis sponte illacrimant, nihil absurdum; qui vero non sponte, absurdius.

LIII. Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, his fortes fiunt febres.

LIV. Quibus plurimum siccae tusses leviter irritantes in

febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.

LV. Ex *bubonibus* febres omnes malae, praeter *ephemeras*.

LVI. Febricitanti sudor superveniens, febre non deficiente, malum: prorogatur enim morbus, et multam significat humiditatem.

LVII. Qui à *distensione* aut *rigore* nervorum tenetur, febre superveniente liberatur.

LVIII. A febre ardente *detento*, rigore superveniente, solutio.

LIX. Tertiana exquisita septenis circuitibus, quod longissimum est, judicatur.

LX. Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut alvus turbata solvit morbum.

LXI. Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidivare.

LXII. Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum.

LXIII. Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres solvuntur.

LXIV. Quibus in febribus morbus regius septimo, vel nono, vel undecimo, vel quartodecimo supervenerit, bonum, nisi dextrum *hypochondrium* obduruerit. Si vero non, non bonum,

LXV. In febribus circa ventriculum et fortis aestus, et cordis morsus, vel dolor, malum.

LXVI. In acutis febribus convulsiones, et circa viscera dolores fortes, malum.

LXVII. In febribus *per somnum* timores, vel convulsiones, malum.

LXVIII. In febribus spiritus offendens malum; convulsionem enim significat.

LXIX. Quibus urinae sunt crassae, grumosae, paucae, non sine febre, si *ab his tenues, et copiosae reddantur*, juvant; praecipue vero tales veniunt, quibus ab initio, vel brevi *sedimentum* inest.

LXX. Quibus urinae perturbatae, quales sunt jumentorum, his dolor capitis vel adest, vel aderit.

LXXI. Quibus septima *die futura crisis est*; his nubeculam habet quarta die urina *subrubram*, et alia ex ratione.

LXXII. Quibus urinae albae, et perspicuae, malae, praesertim si in *phreniticis* appareant.

LXXIII. Quibus *hipochondria* elevata murmurant, lumborum dolore superveniente, his alvi humectantur, nisi flatus erumpant, aut urinae multitudo

proveniat; haec vero in febribus *accidunt*.

LXXIV. Quibus speratur abscessum futurum ad articulos, liberat ab abscessu urina multa, crassa, et alba, facta, qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam incipit fieri. Si vero etiam ex naribus fluxerit sanguis, brevi admodum solutio fit.

LXXV. Si sanguinem, *et* pus mingat, renum, aut vesicae exulcerationem significat.

LXXVI. Quibus in urina crassa existente, carunculae parvae, ac veluti capilli una exeunt, his à renibus excernitur.

LXXVII. Quibus in urina crassa, furfurea quaedam simul exeunt, his vesica scabie laborat.

LXXVIII. Quicunque sponte sanguinem mingunt, his *in* renibus venulam ruptam significatur.

LXXIX. Quibus in urinis arenosa *subsidunt*, his vesica laborat calculo.

LXXX. Si sanguinem *mingat*, *et* grumos, *et* stillicidium urinae *habeat*, et dolor in imum incidat ventrem, et *interfeminium*, circa vesicam *morbus* est.

LXXXI. Si sanguinem, aut pus *mingat*, aut squamulas, et gravis odor adsit, vesicae exulcerationem significat.

LXXXII. Quibus in urinaria fistula tubercula nascuntur, iis suppuratione facta, et eruptione, solutio.

LXXXIII. Mictio noctu plurima facta parvam significat dejectionem.

APHORISMORUM

HIPPOCRATIS

SECTIO V.

I. Convulsio ex elleboro lethalis est.

II. Convulsio ex vulnere lethalis est.

III. Ubi sanguis plurimus fluxerit, convulsio, aut singultus superveniens, malum.

IV. Ex *immodica* purgatione convulsio, aut singultus superveniens, malum.

V. Si ebrius quispiam repente obmutuerit, convulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut ubi ad horam pervenerit, qua solvuntur crapulae, vocem recuperet.

VI. Quicunque *nervorum rigore* corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si vero has effugerint, sani fiunt.

VII. Quibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, *in pubertate* mutationem accipiunt; quicunque autem vigesimo quinto, *plerumque* commoriuntur.

VIII. Quicunque *pleuritide* laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, hi ad suppurationem vertuntur.

IX. Tabes fiunt maxime aetatibus à decimo octavo usque ad trigessimum quintum *annum*.

X. Quicunque ab angina liberantur, his *si morbus* ad pulmones vertitur, in septem die-

bus pereunt; si vero has effugerint, suppurantur.

XI. Qui tabe molestantur, si sputum quod extussiunt grave olet injectum carbonibus, et capilli è capite defluunt, lethale.

XII. Quibuscunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, hi alvi profluvio superveniente moriuntur.

XIII. Quicunque spumosum sanguinem expuunt, his è pulmone eductio fit.

XIV. A tabe detento profluvium alvi superveniens lethale.

XV. Quicunque ex *pleuritide* suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur à die, qua fit ruptio, liberantur: si vero non, ad tabem transeunt.

XVI. Calidum, ubi quis saepius eo utatur, haec mala af-

fert: carnium effoeminationem, nervorum incontinentiam, mentis torporem, profluvia sanguinis, animi *defectiones*; *ad quae quidem mors sequitur.*

XVII. Frigidum autem convulsiones, distensiones, livores, rigores febriles *efficit.*

XVIII. Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullae; calidum vero utile.

XIX. Quaecunque refrigerata sunt excalefacere oportet, exceptis *iis*, è quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

XX. Ulceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insupperabilem facit, *livores* obducit, rigores febriles, convulsiones, distensiones *efficit.*

XXI. Est autem ubi in distensione sine ulceratione, juve-

ne bene carnoso, aestate media, frigidae aquae multa perfusio calorem revocat; calor autem haec solvit.

XXII. Calidum *suppurationem movens*, non *tamen* in omni ulcere, magnum *est* ad securitatem indicium; cutem mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, convulsiones, et distensiones mitigat, et ex his, quae ad caput attinent, ejus solvit gravitatem. Plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis praecipue, eorumque maxime, qui in capite ulcera habent; et quaecunque à frigore moriuntur, vel ulcerantur; *herpetibus denique exedentibus*, sedi, pudendis, utero, vesicae; his calidum amicum et judicans, frigidum inimicum, et perimens.

XXIII. In his frigido utendum, unde fluit sanguis, aut

fluxurus est, non ad ipsa sed circa ipsa unde influit: et quaecunque inflamationes, vel *ardores* ad rubrum, vel subcruentum sanguine recenti tendunt; nam veteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam non ulceratum juvat; nam exulceratum laedit.

XXIV. Frigida, qualis nix, et glacies, pectori inimica, tusses movent, et sanguinem, et destillationes.

XXV. Tumores articulorum, atque dolores absque ulcere, et podagricos quoque, atque convulsa; horum plurima frigida aqua large affusa levat, et extenuat, solvitque dolorem; nam modicus torpor dolorem solvit.

XXVI. Aqua quae cito calet, et cito refrigeratur, levissima est.

XXVII. Qui noctu bibere appetunt, his admodum sitienti-

bus, si superdormierint, bonum.

XXVIII. Suffitus aromatum muliebria *educit*; saepius vero et ad alia utilis esset, nisi capitis faceret gravitatem.

XXIX Gravidas purgare turgente materia à quarto mense usque ad septimum; minus vero has. Recentiores autem, et seniores vereri oportet.

XXX. Mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est.

XXXI. Mulier utero gerens, sanguine misso ex vena; abortit; et magis, si foetus sit major.

XXXII. Mulieri sanguinem evomenti, menstruis erumpentibus, solutio *fit*.

XXXIII. Menstruis deficientibus, sanguis è naribus fluens, bonum.

XXXIV. Mulieri utero gerenti si alvus plurimum profluat,

periculum est, ne abortiat.

XXXV. Mulieri, quae *morbis* uterinis molestatur, aut difficulter parit, superveniens sternutatio, bonum.

XXXVI. Mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus venientes, purgationem indicant esse necessariam.

XXXVII. Mulieri utero gerenti, si mammae graciles repente fiant, abortit.

XXXVIII. Mulieri utero gerenti, si altera mamma gracilis fiat, geminos habenti, alterum abortit; et si quidem mamma dextera gracilis fiat, marem; si vero sinistra, foeminam.

XXXIX. Si mulier, quae neque gravida est, neque *recens* peperit, lac habet, huic menstrua defecerunt.

XL. Quibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colli-

gitur, furorem significat.

XLI. Si velis noscere, an conceperit mulier, quum dormitura est, ei aquam mulsam potandam da; et si alvi tormina patietur, concepit; sin minus non concepit.

XLII. Mulier, si marem concepit, bene colorata est; si vero foeminam, male colorata.

XLIII. Si mulieris gravidae in utero sit erysipelas, lethale.

XLIV. Quaecunque praeter naturam tenues existentes utero gerunt, abortiunt, priusquam crassescant.

XLV. Quaecunque *vero* mediocriter *corpulentae* abortiunt secundo, aut tertio mense sine occasione manifesta; his acetabula uteri plena mucoris sunt; et non possunt ex pondere foetum continere, sed disrumpuntur.

XLVI. Quaecunque praeter naturam crassae non concipiunt utero, his omentum os uteri comprimit; et prius quam extenuentur, non concipiunt.

XLVII. Si, *qua parte* uterus *coxae adiacet*, suppuratur, necesse est linamentum fieri.

XLVIII. Foetus, mares quidem in dexteris, foeminae vero in sinistris magis *gestantur*.

IL. Ut secunda procidat, sternutatorio apposito, et nares apprehendito, et os.

L. Mulieri si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quammaximam ad mammas appone.

LI. Quae utero gerunt, his uteri os comprimitur.

LII. Mulieri utero gerenti, si lac multum è mammis effluat, foetum imbecillem significat: si vero mammae solidae fuerint, foetum significant saniorem.

LIII. Quae corrupturae sunt foetus, his mammae extenuantur: si vero *contra* durae fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, et non corrumpent.

LIV. Quibus os uteri durum est, his uteri os comprimi est necessarium.

LV. Quaecunque utero gerentes à febribus corripiuntur, et fortiter calefiunt, sine occasione manifesta, difficulter pariunt, et cum periculo, aut abortum facientes periclitantur.

LVI. Ex fluxu muliebri si convulsio, *aut* animi defectus advenerit, malum.

LVII. Si menstrua plura fiant, accidunt morbi; et si *subsistant*, ex utero morbi contingunt.

LVIII. Recto intestino, aut utero inflammationem patiente, urinae stillicidium accidit; et

renibus purulentis urinae advenit stillicidium: *hepati autem inflammationem patienti, singultus advenit.*

LIX. Si mulier non concepit, scire autem velis, *num* conceptura sit, pannis *undique* circumtectam desubter suffia, et si odor videatur per corpus ire ad nares, et os; scito quod ipsa non ex se ipsa sterilis est.

LX. Si mulieri utero gerenti purgationes eant, impossibile est foetum esse sanum.

LXI. Si mulieri cessent purgationes, neque febris, neque rigor superveniat, et fastidia incidant, judica ipsam in utero habere.

LXII. Quaecunque frigidos, et *spissos* uteros habent, non concipiunt: et quaecunque praehumidos uteros habent, non concipiunt; extinguitur enim in

eis genitura: et quaecunque siccos magis, et adurentes, nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quaecunque vero ex utrisque mediocrem habent temperaturam, hae fecundae sunt.

LXIII. Similiter autem et in maribus; aut enim propter corporis raritatem spiritus extra fertur, ut semen non transmittatur ad os, vel propter spissitudinem humor non exit foras; vel propter frigiditatem non concalescit, ita ut ad hunc colligatur locum: vel propter caliditatem hoc idem accidit.

LXIV. Lac dare caput dolentibus malum; malum vero et febricitantibus, et quibus *hypochondria* suspensa murmurant, et siticulosis; malum autem et quibus in febribus acutis biliosae sunt dejectiones, et quibus sanguinis multi dejectio facta

est. Convenit autem et tabidis dare, qui non valde multum febricitant, et in febribus longis, et parvis, si nullum ex supradictis signis affuerit, et praeter rationem consumptis.

LXV. Quibus tumores in ulceribus apparent, non *admodum* convelluntur, neque insaniunt. Verum his evanescentibus derepente, *quibus fuerant* à tergo, convulsiones, et *rigores nervorum* fiunt: quibus *vero* ante, insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel *dysenteria*, si tumores sunt rubicundi.

LXVI. Si in vulneribus fortibus, et pravis, tumor non appareat, ingens malum.

LXVII. Molles *tumores*, boni: crudi vero, mali.

LXVIII. Dolenti partem capitis posteriorem in fronte recta vena incisa prodest.

LXIX. Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, et per dorsum *perveniunt* ad caput. Sed et viris parte corporis posteriore magis, quam anteriore, veluti *ex femoribus, et cubitis. Indicio est cutis raritas, quam ipsam pilus ostendit.*

LXX. A quartanis capti non admodum à convulsionibus capiuntur. Si vero prius capiantur, et quartana supervenerit, liberantur.

LXXI. Quibus *cutis circumtenditur arida, et sicca*, sine sudore moriuntur; quibus vero *laxa* et *rara*, cum sudore moriuntur.

LXXII. Qui regio morbo laborant, non multum ventosi sunt.

APHORISMORUM

HIPPOCRATIS

SECTIO VI.

I. In longis *lienteriis*, si ructus acidus fiat, qui prius non erat, signum bonum.

II. Quibus nares natura humidiores, et genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur: quibus vero contraria, salubrius degunt.

III. In longis *dysenteriis* inediae ex fastidio, malum; et cum febre, pejus.

IV. Ulcera circum glabra prava sunt.

V. Dolores, qui sunt in lateribus, in pectore, atque aliis partibus, *num* multum differant, perdiscendum.

VI. Renum, et vesicae vitia in senioribus difficulter sanantur.

VII. Dolores ventris sublimes, leviores; qui vero non sublimes, fortiores.

VIII. *Hydrope* laborantibus ulcera in corpore facta difficulter sanantur.

IX. Latae pustulae non admodum pruriunt.

X. Caput dolenti, et circumdolenti, pus, vel aqua, vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum solvit.

XI. Atra bile vexatis, et renum passionibus, haemorrhoides supervenientes, bonum.

XII. A diuturnis sanato haemorrhoidibus, si una *quaepiam* non servatur, periculum est *hydropem*, vel tabem advenire.

XIII. A singultu *detentum* sternutatio superveniens liberat.

XIV. Ab *hydrope detento*, si aqua à venis in ventrem defluxerit, solvitur morbus.

XV. A longo alvi profluvio *detento* spontaneus vomitus superveniens morbum solvit.

XVI. A *pleuritide*, vel *peripneumonia detento* alvi profluvium *superveniens*, malum.

XVII. Lippientem alvi profluvio corripi, bonum.

XVIII. Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo *transverso*, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut jecore, lethale est.

XIX Quum discissum fuerit os, aut cartilago, vel nervus, aut genae *pars* tenuis, vel praeputium; neque augetur, neque coalescit.

XX. Si in ventrem sanguis praeter naturam effunditur, necesse est suppurari.

XXI. In insanientibus si varices, vel haemorrhoides supervenerint, insaniae solutio.

XXII. Quaecunque rupta ex dorso ad cubitum descendunt, venae sectio solvit.

XXIII. Si timor, atque moestitia longo tempore habentes perseverent, ex eo *morbus melancholicus* significatur.

XXIV. Si quod intestinorum gracilium discindatur, non coalescit.

XXV. Erysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum: ab interioribus vero ad exteriora, bonum.

XXVI. Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio solvuntur.

XXVII. Quicunque suppurati, aut *hydropici* uruntur, aut secantur, si pus, aut aqua universim effluxerit, omnes moriuntur.

XXVIII. Eunuchi neque podagra laborant, neque calvi fiunt.

XXIX. Mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.

XXX. Puer podagra non laborat ante usum venereorum.

XXXI. Dolores oculorum *vini* meri potio, aut balneum, aut venae sectio, aut medicamentum epotum solvit.

XXXII. Balbi à *longo* alvi profluvio maxime capiuntur.

XXXIII. Qui acidum eructant, non valde *pleuritide* corripiuntur.

XXXIV. Quicunque calvi sunt, his magnae varices non fiunt. Quibus vero calvis varices magnae superveniunt, hi rursus capillati fiunt.

XXXV. *Hydrope* laborantibus tussis superveniens, malum.

XXXVI. Difficultatem urinae vena secta juvat; secare vero interiores.

XXXVII. Ab angina *detento*, si tumor fiat in collo, bonum, *foras enim morbus vertitur.*

XXXVIII. Cancros occultos omnes melius est non curare; curati enim cito pereunt; non curati vero longius tempus perdurant.

XXXIX. Convulsio fit vel ex repletione, vel ex inanitione; ita vero et singultus.

XL. Quibus dolor circa *hypochondrium* fit absque inflamatione, his febris superveniens morbum solvit.

XLI. Quibuscunque suppuratio in corpore existens non innotescit, his ob crassitudinem puris, aut loci non innotescit.

XLII. Morbo regio laborantibus, si fiat hepar durum, malum.

XLIII. Quicunque lienosi à *dysenteria corripiuntur longa, eaque in hydropem, aut lienteriam convertitur*, moriuntur.

XLIV. Quibus ex stillicidio urinae ileos supervenit, in septem diebus pereunt, nisi febre superveniente satis urina fluxerit.

XLV. Ulcera quaecunque annua sunt, aut diuturniora, os abscedere est necessarium, et cicatrices cavas fieri.

XLVI. Qui gibbi ex astmate, aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur.

XLVII. Quibuscunque venae sectio, vel purgatio cum medicamento convenit, hos vere purgare; vel venam incidere oportet.

XLVIII. Lienosis *dysenteria* superveniens, bonum.

IL. Quicunque morbi podagrici fiunt, sedata *inflammatione*, *intra dies quadraginta* finiuntur.

L. Quibuscunque praeciditur cerebrum, his necesse *est* febrem, et bilis vomitum supervenire.

LI. Quicunque sani dolore capitis repente capiuntur, et statim muti fiunt, et stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.

LII. Oportet vero et considerare oculorum in dormientibus suspectiones; nam si quid album commissis palpebris subinspicitur, neque ex alvi profluvio, aut medicamenti potione istud contingat; malum est signum, et lethale valde.

LIII. Desipientiae, quae cum risu fiunt, securiores; quae vero cum studio, periculosiores.

LIV. In acutis *morbis*, quae

cum febre sunt luctuosa suspiria, malum.

LV. Dolores podagrici vere et autumno magna ex parte moventur.

LVI. In morbis melancholicis, ad haec periculosi decubitus, stuporem corporis, vel convulsionem, vel furorem, vel caecitatem significant.

LVII. Apoplexiae autem fiunt maxime à quadragesimo anno usque ad sexagesimum.

LVIII. Si omentum excidad, necessario putrescit.

LIX. Quibuscunque à coxendicum dolore molestatis excidit coxa, et rursus incidit, his mucores *innascuntur*.

LX. Quibuscunque à coxendicum dolore molestatis diuturno excidit coxa, his crus tabescit, et claudicant, nisi urantur.

APHORISMORUM

HIPPOCRATIS

SECTIO VII.

I. In morbis acutis frigus partium extremarum, malum.

II. In osse aegrotante caro livida, malum est.

III. A vomitu singultus, et oculorum rubor, malum.

IV. A sudore horror, non bonum.

V. A furore *dysenteria*, vel hydrops, vel extasis, bonum.

VI. In morbo diuturno fastidium cibi, et dejectiones sincerae, malum.

VII. Ex multa potatione rigor, et desipientia, malum.

VIII. A tuberculi intus ruptione exsolutio, vomitio, *et* animi defectio fit.

IX. A profluvio sanguinis *delirium*, *aut etiam* convulsio, malum.

X. Ab ileo vomitus, singultus, desipientia, vel convulsio, malum.

XI. A *pleuritide* inflammatio pulmonis, malum.

XII. A pulmonum inflammatione phrenitis, malum.

XIII. Ab aestibus fortibus convulsio, aut *tetanus*, malum.

XIV. In capitis ictu obstupescentia, *aut* desipientia, malum.

XV. A sanguinis sputo puris sputum, *malum*.

XVI. A puris sputo phthisis, et fluxus; quum vero spu-

tum retinetur, moriuntur.

XVII. In hepatis inflammatione singultus malum.

XVIII. In vigilia convulsio, vel *delirium*, *malum*.

XIX. In ossis *nudatione* erysipelas.

XX. Ab erysipelate putredo, aut suppuratio, *malum*.

XXI. A forti in ulceribus vulsu profluvium sanguinis.

XXII. A ventris dolore diuturno suppuratio.

XXIII. A dejectione sincera *dysenteria*, *malum*.

XXIV. In ossis praecisione desipientia, si in vacuum *penetraverit*.

XXV. Ex medicamenti potione convulsio lethalis est.

XXVI. In forti dolore *partium ad ventrem attinentium*, *extremorum* frigiditas, malum.

XXVII. Mulieri utero gerenti si tensio supervenerit, facit abortum.

XXVIII. Quando os, aut cartilago, aut nervus abscinditur in corpore, non augetur.

XXIX. Qui alba pituita detinetur, si fortis ventris fluxus supervenerit, à morbo liberatur.

XXX. Quibus in alvi profluviis excrementa spumosa sunt, his è capite pituita defluit.

XXXI. Quibuscunque febricitantibus in urinis fiunt sedimina, veluti farina crassior, longam aegritudinem fore significat.

XXXII. Quibus autem biliosa sedimina, *sed* supra tenuia, *apparuerint*, acutum morbum significant.

XXXIII. Quibuscunque urinae distantes sunt, his turbatio fortis in corpore fit.

XXXIV. Quibus in urinis

bullae *innatant*, morbum renalem, et longum significant.

XXXV. Quibus insidens pingue, ac simul totum, his renum vitium, *et* acutum *morbum adesse significat.*

XXXVI. Quibus autem morbo renali laborantibus praedicta accidunt signa, doloresque circa spinae musculos fiunt, si quidem circa loca exteriora fiunt, abscessus quoque exterius futuros expecta: si vero dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abscessus expecta futuros interius.

XXXVII. Quicunque evomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare: si vero cum febre, malum. Curare vero acerbis, et refrigerantibus.

XXXVIII. Destillationes in ventrem superiorem suppurantur intra viginti dies.

XXXIX. Si quis sanguinem minxerit, et grumos, et stillicidio urinae laboret, *et* dolor inciderit in *femen*, et imum ventrem, pectinemque, *quae* circa vesicam *sunt loca* male se habere, significatur.

XL. Si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupore elangueat, tale est melancholicum.

XLI. Si senioribus supra modum purgatis singultus supervenerit, non bonum.

XLII. Si febris non ex bile *dependeat*, multa aqua calida capiti superinfusa, solutio fit febris.

XLIII. Mulier ambidextera non fit.

XLV. Quicunque suppurati uruntur, vel secantur, si pus purum fluxerit, et album, evadunt; si vero subcruentum, foe-

culentum, ac foetidum, pereunt.

XLV. Quorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, et album, evadunt; in tunica enim his pus continetur; si vero qualis amurca fluat, pereunt.

XLVI. Dolores oculorum post meri potionem, et aquae calidae balneum, venae sectione curato.

XLVII. *Hydrope* laborans, si à tussi habeatur, desperatus est.

XLVIII. Urinae stillicidium, et mingendi difficultatem vini potio, et venae sectio solvit; incidere autem interiores *venas*.

IL. Ab angina *detento* tumor, et rubor in pectore superveniens, bonum; *foras* enim vertitur morbus.

L. Quibus cerebrum sphacelatum, id est corruptum est, in tribus diebus pereunt; si vero hos evaserint, sani fiunt.

LI. Sternutamentum fit ex capite calefacto cerebro, aut humectato eo, quod in capite *est*, inani *spatio*. Aer enim intus contentus *foras* erumpit. Sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus.

LII. Quibus hepar circumdolet, his febris superveniens solvit dolorem.

LIII. Quibus à venis sanguinem mittere confert, his vere venam oportet secare.

LIV. Quibus inter ventriculum, et *diaphragma* pituita reposita est, et dolorem affert, non habens exitum *per* alterutrum ventrem; his, per venas ad vesicam pituita versa, solvitur morbus.

LV. Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, his venter aqua repletur, et moriuntur.

LVI. Anxietudo, oscitatio, horror, vinum *pari aquae portione* potum solvit aegritudinem.

LVII. Quibus in urinario meatu tubercula fiunt, his suppuratione facta, et eruptione, solvitur dolor.

LVIII. Quibus cerebrum *externa* aliqua causa *vehementer* concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.

LIX. Corporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere convenit: fames enim corpora siccat.

LX. Ubi in toto corpore mutationes *fiunt*, et si corpus refregeratur, et rursus calefiat, aut colorem alium ex alio commutat, longitudo morbi significatur.

LXI. Sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens humorem *exuberantem purgari*, *in*

robusto quidem supra; *in* debili vero infra, significat.

LXII. Si quis cibum febricitanti dederit, ut sano robur, sic *febricitanti* morbus.

LXIII. Quae per vesicam excernuntur, inspicere oportet, si talia sunt, qualia sanis excernuntur. Quae igitur minime similia sunt his, haec morbosiora: quae vero sunt sanis similia, haec minime morbosa.

LXIV. Et quibus dejectiones, si *residere* permiseris, et non moveris, veluti strigmenta *subsident* (et si pauca, paucus est morbus, et si multa, multus) his confert alvi purgatio: quod si, alvo non purgata, dederis sorbitiones, quanto plures dederis, tanto magis nocebis.

LXV. Quibuscunque inferius cruda dejiciuntur, ab atra bile

sunt: si plura, *major*; si pauciora, *minor est morbus*.

LXVI. Excreationes in febribus non intermittentibus lividae, *cruentae*, biliosae, et foetidae, omnes malae. Quum vero bene excernuntur, bonum est; et per *alvum*, et per vesicam. Et ubi aliquid secedens steterit non purgatum, malum.

LXVII. Corpora oportet, ubi quis purgare voluerit, fluida facere; et si supra, sistere alvum; si vero infra, humectare.

LXVIII. Somnus, *et* vigilia, utraque modum excedentia, morbus.

LXIX. In febribus non intermittentibus, si exteriora frigent, interiora uruntur, et *sitis detineat*, lethale.

LXX. In febre non intermittente si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium pervertatur; si non videat, si non audiat, et jam debilis sit, quidquid horum fuerit, mors prope est.

LXXI. A pituita alba, *hydrops* supervenit.

LXXII. Ab albi profluvio, *dysenteria*.

LXXIII. A *dysenteria*, *lienteria* supervenit.

LXXIV. A corruptione, abscessus ossis.

LXXV. A sanguinis vomitu phthisis, et puris purgatio supra.

LXXVI. Qualia fuerint vesicae, aut alvi excrementa, et ex carnibus; et sic, ubi *alias corpus á natura recesserit*, *spectare oportet*; *nam* si parum, parvus est morbus, si multum, *magnus*, si valde multum, lethale est.

APHORISMORUM

HIPPOCRATIS

SECTIO VIII.

I. Qui supra quadraginta annos phrenitici fiunt, non fere sanescunt; minus enim periclitantur, quibus morbus et naturae, et aetati conveniens accedit.

II. Quibuscunque in morbis oculi ex causa illacrimant, bonum; *quibuscunque* autem sine causa, malum.

III. Quibuscunque in quartanis febribus sanguis è naribus defluxerit, malum.

IV. Sudores in diebus judicatoriis vehementes, et celeres

si fiant, periculosi; praesertim, qui ex fronte, tanquam guttae, et fistulae salientes pelluntur; frigidique valde, atque multi. Necesse est enim talem sudorem multa vi, et labore, et longa expressione exire.

V. *Ex longo morbo* alvi *defluxus*, malum.

VI. Quoscunque morbos medicamenta non sanant, ferrum sanat; quos ferrum non sanat, ignis sanat; quos vero ignis non sanat, hos sanari non posse putato.

VII. Tabes à decimo octavo usque ad trigesimum *quintum* potissimum gignuntur.

VIII. In lethargo tremor, malum.

IX. Lingua nigra, atque cruenta, quum quid horum signorum abest, malum validum non est, et imbecilliorem *morbum* significat.

X. Haec quidem in acutis febribus observentur, *ut*, si quis moriturus, vel evasurus sit, dignoscamus.

XI. Testis dexter frigidus, contractusque, mortiferum est.

XII. Ungues nigri, digiti pedum frigidi, nigri, demissi, vel proclinati, mortem proximam esse portendunt.

XIII. Quod etiam digitorum extrema frigida praeseferunt.

XXIV. Et labra livida, resoluta, inversa, frigida si sint, mortiferum est.

XV. Si oculi caligant, vel lucem aversantur, solitudine si *quis* gaudeat, qui sommo multo, et aestu detinetur, extra spem est.

XVI. Si quis sensim rabie quadam efferatur, si quis non cognoscit, non audit, non intelligit, mortiferum est.

XVII. *Morituris* signa haec

sunt clara magis; *et* ventriculi tolluntur, tumescunt, et inflantur.

XVIII. Terminus vero mortis hic est, quum animae calor supra umbilicum, et diaphragma ascendit; ac omne humidum exurit, et siccat; quum autem cor, et pulmo humiditatem caloris collecti mortiferis in locis sentiunt, totum caloris spiritum efflant, unde totum in toto consistit. Praeterea quidem partim per carnem, partim per spiracula capitis spirant, quod vivere dicimus; corporisque capsulam, et alveum anima frigidum, mortuumque una simulacrum relinquit, sanguinique, bili, et pituitae, et carni concedit.

FINIS.

MAGNI

HIPPOCRATIS

PRÆSAGIA

Ex Gulielmi Copi versione.

Praesagiorum Hippocratis cujusque virtutem signi sigillatim tradentis doctrina, nulla melior est, *Galen. de morb. vulg. Comm. I.*

PRÆSAGIORUM

HIPPOCRATIS

LIBER I.

I. Nihil perinde medico conducibile censeo, quam ut prudentem se praestare laboret.

II. Si enim apud aegros praeterita, praesentia, et futura, atque ea, quae ipsi inter narrandum omiserunt, noverit, praedixeritque, nihil quod aegris usui sit, ignorare putabitur.

III. Quo fit, ut audentius homines medico se se committant.

IV. Etenim perquam salutarem adhibebit curationem, si

futuras affectiones praeviderit. Nam fieri non potest, ut omnes aegros sanitati restituat; quamquam hoc multo praestantius *foret*, quam futura praenoscere.

V. *Quandoquidem* homines *pereunt*, alii quidem ob morbi vehementiam, antequam vocetur medicus; nonnulli vero, vocato licet medico, repente moriuntur; ac alii unico dumtaxat die; alii paulo longiori spatio vitam extendunt, priusquam medicus arte sua singulis morbis ocurrendo resistat.

VI. Proinde harum affectionum naturas noscere oportet; quantum videlicet corporis viribus sint superiores.

VII. Quin etiam, si divinum quidpiam morbis inest, hujus quoque providentiam perdiscere. Sic enim optimo jure, et admirabilem, et bonum se praes-

tabit medicum. Quos enim superstites fore cognoverit, eos rectius quoque servabit, utpote ex multo tempore singula consulte perpendens. Itaque morituros, victurosque praesentiens, atque denuncians, omnem prorsus calumniam vitabit.

Notae ex facie.

VIII. In acutis morbis sic considerare oportet, in primis quidem aegri faciem, num sanorum faciebus, maxime vero suae ipsius similis sit; ea enim optima censenda est. Quae vero maximo discrimine ab hac similitudine recedit, gravissimum periculum portendit, cujus hae sunt notae.

XI. Nares acutae, oculi concavi, collapsa tempora, frigidae, contractaeque aures, et

imis partibus leniter versae.

X. Cutis circa frontem dura, intenta, et arida: totius faciei color, aut niger, aut pallidus, aut livens, aut plumbeus.

XI. Quod si inter morbi initia hujusmodi facies appareat, neque ex aliis indiciis conjectura sumi possit; inquirendum est, an vigilia, aut ventris vehemens resolutio, aut inedia praecesserit, quorum si quidpiam deprehenderis, nihil periculi timendum est. Atqui si ob hujusmodi causas haec faciei species orta est, una die, nocteque finitur. Si vero eas praecessisse aeger negaverit, diutiusque jam dicto tempore haec forma duraverit, scire licet, eum morti proximum esse.

XII. Quod si in vetere morbo jam triduo, quatriduoque talis est, inquirenda sunt ea sig-

na, quae supra proposui; ad haec reliqua quoque indicia, non solum ex facie, verum etiam ex reliquis corporis partibus perpendenda sunt, praecipue ex oculis.

Notae ex oculis.

XIII. Nam, si lumen refugiunt, et illacrimant, idque praeter voluntatem, aut pervertuntur, alterque ex iis minor est, et quae in illis alba esse debent, rubescunt: aut genae pallent, atque in iisdem venulae *livescunt*, *aut* nigricant, aut *oculorum sordes circa pupillam apparent*, aut frequens est oculorum motus; iique aut vehementer subsederunt, aut facti tumidiores sunt, *fuerintque squallidi*, *et minime lucidi*, atque universae faciei color mutatus;

haec omnia signa mala, perniciosaque putanda sunt.

XIV. Quin etiam oculorum per somnum suspectiones observandae sunt. Ubi enim palpebrae non committuntur, sed inter has ex albo oculorum aliquid apparet; neque id fluens alvus, aut medicamenti potio praecessit, praesertim si quis non sic dormire consueverit, pravum hoc signum, lethaleque admodum est.

XV. Si palpebra, aut labrum, aut nasus retorquetur, aut pallet, aut livore inficitur, accedente quopiam reliquorum signorum, aegrum morti proximum esse, haud dubitandum est. Mortem etiam portendunt labra resoluta, suspensa, frigida, candicantia.

A decubitu notae.

XVI. Deprehendendus est aeger in dextrum, sinistrumve latus cubans, brachiis, cervice, ac cruribus paulum reductis, ac universo corpore molliter affecto, qui fere sani quoque jacentis habitus est; quippe quum optimus sit ille decubitus, qui à sanorum consuetudine non variat.

XVII. Sed non laudatur *supinus* decubitus, quo brachia, cervix, et crura extenduntur.

XVIII. Id vero gravius est, si se ipsum aeger continere non valens, ad pedes subinde delabitur.

XIX. Ubi pedes nudat, neque *multus* iis calor subest, ubi brachia, cervicem, ac crura inaequabiliter dispergit, ac nudat, mali morbi, angorisque signum est.

XX. Perniciosum est, ubi hians quis assidue dormit.

XXI Aut ubi supinus jacet, cruribus vehementer contortis, complicatisque.

XXII. Si pronus jaceat is, qui per bonam valetudinem sic dormire non consuevit, aut delirium, aut ventris dolorem portendit.

XXIII. Ubi residere vult aeger in ipso morbi vigore, malum quidem indicium est in omnibus acutis affectibus, sed longe pessimum pulmonibus laborantibus.

A stridore dentium.

XXIV. Stridor dentium per febres, praeter consuetudinem à teneris contractam, *furorem* significat, et mortem. Atque ab utrisque futurum periculum de-

nunciandum est. Si vero jam deliranti stridor quoque accedat; vix aliam aeque perniciosam invenies notam.

Ab ulcere.

XXV. Ulcus, sive ante, sive in ipso morbo natum est, observari debet; nam si moriturus est homo, aridum, et livens, aut pallidum, *et aridum* ante mortem apparet.

A gesticulatione manuum.

XXVI. Ex manuum *motione* hujuscemodi notas perpende. In acutis febribus, in peripneumonia, phrenitide, capitis dolore, si quis eas faciei admoverit, ut inde quidpiam supervacue venetur, aut festucas carpat, aut à veste floccos, aut à pariete

paleas avellat: omnes hae *notae* malae, lethalesque sunt.

A spiratione.

XXVII. Spiritus frequens, aut doloris, aut inflammationis in partibus *diaphragmate* superioribus judicium est: magnus, et ex longis intervallis delirium declarat: frigidus ex naribus, et ore prodiens, lethalis admodum est.

XXVIII. Facilis spiratio in acutis morbis, quibus febris copulatur, quique intra quadraginta dies finiri solent, magnum habet ad salutem momentum.

A sudore.

XXIX. Sudores saluberrimi censentur in omnibus acutis morbis, si in diebus decretoriis oriantur: febrimque finiant, aut ubi toto corpore aequaliter insudante, aeger morbum facilius sustinere videtur. Contra inutiles, qui id efficere non valent. Pessimi omnium sunt frigidi, *aut* ubi caput dumtaxat, aut facies, aut cervix insudat, quippe qui in acuta quidem febre mortem, in mitiori vero, morbum diuturnum fore significant.

XXX. Et qui per corpus eodem modo fiunt, *quo* circa caput. Qui autem milii instar, et circa collum dumtaxat fiunt, mali; qui vero guttatim, et exhalando, boni. Considerare autem oportet sudorem in universum; alii enim propter corporis exsolutionem; alii propter inflammationis vehementiam fiunt.

A praecordiis.

XXXI. Atque inter optima indicia sunt praecordia, ubi sine ullo sensu doloris in utraque parte aequaliter mollia sunt. Inflammata vero, dolentia, et intenta, et ubi aliter in dextera, aliter in sinistra parte afficiuntur, suspecta haberi debent.

XXXII. Praecordiorum venae si pulsent, turbationem, *et* delirium portendunt. Sed eorum, qui sic affecti sunt, oculos inspicere oportet, quippe frequens illorum motus *furorem* comminatur.

A tumoribus.

XXXIII. Praecordia tumida, dura, dolentia; si in universum sic affecta sint, maximum

malum portendunt: si vero altera parte dumtaxat, ex sinistra minus periculum est.

XXXIV. Ceterum hujusmodi tumores, in principio quidem proximam mortem denunciant: ubi vero viginti dies excesserint, neque quiescente febre, neque tumore remisso, ad suppurationem vertuntur.

XXXV. Atque *in primo circuitu* sanguis è naribus fluens non mediocri ipsis praesidio est. Sed tum sanguinis eruptio expectari debet, quum interrogati, aut caput dolere, aut oculos caligare fatentur.

XXXVI. Id vero junioribus, *necdum* trigesimum quintum annum attingentibus *magis* evenire solet.

XXXVII. Mollis tumor, dolorem non inferens, et digitis cedens, longiori tempore fini-

tur, sed non ita grave ab eo periculum pendet.

XXXVIII. Quod si intra sexaginta dies neque febris desinit, neque tumor *subsidet*, suppurationem expectare oportet. Idem haud secus in reliquis quoque ventris partibus perpenditur.

XXXIX. Itaque durus, magnusque tumor, dolore crucians, mortis periculum non multo post fore denunciat. Mollis vero, et sine dolore, quique prementi digito cedit, longus esse solet.

XL. Ventris tumores non tam crebro, ut hi, qui in praecordiis oriuntur abscessum efficiunt. Quod si sub umbilico constituantur, *rarissime* ad suppurationem convertentur.

XLI. Sed ex superioribus maxime sedibus sanguinis fluorem expectare oportet; in quibus

omnis humor diuturnus ad suppurationem fere spectat.

A suppuratione.

XLII. Itaque suppurationum observatio sic accipienda est. Earum enim, quae in exteriorem partem erumpunt, optimae sunt parvae, admodum eminentes, atque in acutum fastigiatae; pessimae vero sunt, quae *magnae*, quaeque *planae* sunt.

XLIII. Sed illarum, quae intus *rumpuntur*, optimae censentur, quae *cum externis partibus nihil communicant*, et contrahuntur, nulloque dolore cruciant, atque ubi exterioris cutis color manet uniformis.

XLIV. Pus illud optimum est, quod album, et laeve est, et haudquaquam foetet: quod vero ab hoc variat, pessimum est

PRÆSAGIORUM

HIPPOCRATIS

LIBER II.

I. *Hydrops*, si ex acuto morbo coepit, *periculosus* est: neque enim febrim solvit, sed doloribus torquet, atque interficit: oritur vero magna ex parte vel ab ilibus, et lumbis, vel à jecinore.

II. Sed ubi ab ilibus, lumbisque ortum contraxit, pedes tumidos reddit, fluorem diuturnum inducit, qui neque lumborum, iliumve dolorem solvit, neque ventrem efficit molliorem.

III. At quibus à jecinore *hydrops* proficiscitur, ii tussi vexantur, *et tussiendi cupiditate*, sed qua pene nihil excreatur; pedes tument, dejectio dura, coactaque est, circa ventrem tumores, modo in dextera, modo in sinistra parte attolluntur, deinde desinunt.

IV. Mali etiam morbi signum est, caput, et pedes, manusque frigidas habere, ventre et lateribus calentibus.

V. Securitatem pollicetur corpus, quod aequaliter molle, et calidum est.

VI. Quodque facile convertitur, et surgit.

VII. Gravitas vero, quae vel manus, et pedes, vel reliquum quoque corpus premit, periculum significat.

VIII. Quod si cum gravitate ungues quoque, ac digiti li-

vore afficiantur, continuo perniciem expectare oportet.

IX. At omnino nigri tum digiti, tum pedes, minus quam liventes periculum portendunt, sed tunc ad reliqua signa refugere oportet; etenim si aeger facile malum sustinet, adsintque alia quaedam indicia, quae securitatem polliceri solent; suppurationem sperabis, atque superstes manebit aeger, sed denigratae corporis partes decident.

X. Testiculi, pudendaque retracta vehementes dolores, atque lethale periculum significant.

De somno.

XI. Quod vero ad somni rationem pertinet, quemadmodum etiam sani solent; interdiu vigilare, noctu vero dormire oportet; à qua consuetudine si quis aberraverit, *malum: minus autem nocebit, si dormiat mane usque ad tertiam diei partem. Qui vero postea somnus accidit, deterior est.*

XII. Pessimum tamen est, si somnus neque noctu, neque interdiu accedit. Id enim vel ob dolorem, laboremve accedit, vel delirium futurum significat.

De alvi excrementis.

XIII. Alvi excrementa inter bona indicia sunt, si figurata sunt, si eodem fere tempore, quo in secunda valetudine dejici solebant, excernuntur: si his quae ingeruntur proportione respondent, utpote quae inferiorem ventrem recte valere declarant.

XIV. Si vero liquida fuerint.

praestat, ut sine stridore, neque frequenter, neque ex brevibus intervallis dejiciantur. Etenim fatigatur aeger, si crebro surgit, vigiliisque consumitur. Quum vero affatim, saepeque dejicit, ne animus eum deficiat, periculum est.

XV. Convenire debent excrementa his, quae assumuntur, et bis, terve interdiu, noctu vero semel dejici; idque maxime matutinis temporibus pro cujusque consuetudine.

XVI. Ad finem jam tendente morbo bonum est, si crassiora reddantur, ac *subfulva*.

XVII. Et odoris foeditate sani hominis alvum non vehementer excedant.

XVIII. Lumbricos etiam *rotundos* cum excrementis sub fine morbi descendisse, *expedit*.

XIX. Venter in quovis morbo *mollis*, corpulentusque *mediocriter* esse debet.

XX. Periculosum stercus est, quod perliquidum, albicans, pallidum, vehementer rufum, aut spumans est.

XXI. Item malum est, quod exiguum, glutinosum, idemque subpallidum est.

XXII. Omnium maxime lethiferum est nigrum, pingue, *aeruginosum*, livens, aut quod pejoris est odoris quam pro consuetudine.

XXIII. Varia excrementa, quamquam diutius mortem differunt, non tamen minus sunt lethalia; hujusmodi *sunt* ramentosa, biliosa, *cruenta*, *porracea*, et nigra, *modo simul inter se mixta*, *modo per vices prodeuntia*.

XXVI. Inter optima signa est flatus, qui neque cum *sonitu*, neque cum *crepitu* emittitur

quamquam enim satius est ipsum cum *crepitu* exire, quam includi; tamen hoc pacto prodiens, aut dolere, aut delirare aegrum significat, nisi sua sponte flatum ipsum emiserit.

XXV. Praecordiorum recentes quidem dolores, *et protuberantias*, nisi inflammatio quoque accesserit, murmur in ipsis exortum solvit, ac una cum stercore, et urinis, atque flatu egreditur. Quod ubi non contingit, si tamen è sede sua transfertur, signum est bonum; idque magis, si ad inferiora descendat.

De urinis.

XXVI. Urina illa optima est, in qua per totum morbi decursum residet album, laeve, et aequale: haec nimirum securitatem, brevemque morbum sig-

nificat. Quod si aliquid horum deest, ut modo *pura* sit, modo album, laeveque in ipsa resideat, haec ut longiorem morbum denunciat, ita securitatem minorem pollicetur.

XXVII. Subrubra urina, in qua subrubrum, laeveque resident, quamquam superiore morbum diuturniorem, eundem tamen *perquam salutarem* fore declarat.

XXVIII. Mala est urina quum id quod residet, parti farinae crassiori simile est, *pejus* vero, si *laminis*. Ac vituperatur quoque *album*, *tenueque*, quamquam longe majus periculum ea urina portendat, in qua quaedam tanquam furfura resident.

XXIX. *Nubeculae*, *quae in urina gignuntur*, albae quidem bonae sunt, nigrae vero malae.

XXX. Ceterum, quoad uri-

na rufa, tenuisque apparuerit, crudum morbum significat.

XXXI. Quod si diutius talis permanserit, *ne* priusquam *urina concoquatur*, aeger viribus destitutus succumbat, periculum est.

XXXII. Perniciosissima est urina, quae mali odoris, et diluta, et tenuis, et nigra, et crassa est.

XXXIII. In viris quidem, et mulieribus nigra, in pueris vero tenuis, et diluta deterrima est.

XXXIV. Si urina tenuis, et cruda sic diu fertur, ut reliqua signa salutaria sint, plerumque infra septum transversum abscessus oriri solet.

XXXV. Neque leviter terrere nos debet urina, cui pinguedo telis araneorum similis innatat; quippe quae homi-

nem tabe consumi significat.

XXXVI. Nubeculae *in urinis* supremumne locum, an infimum teneant, observare oportet. Nam, quae in ima parte constituuntur, cum coloribus quos supra proposui, bonae sunt, atque laudantur: quae vero cum *relatis coloribus* sursum attolluntur, malae vituperandaeque sunt.

XXXVII. Sed cave, ne vesica quoquo modo affecta, si hujusmodi reddiderit urinas, te decipiat; tales enim non ad universum corpus, sed ad ipsam dumtaxat vesicam referri debent.

De vomitu.

XXXVIII. Perquam utilis est vomitus, qui bilem pituitae mixtam habet, si neque crassitie, neque multitudine admo-

dum excedat: nam sincerae pituitae, bilisve vomitus periculosus est.

XXXIX. Si vero viridis, aut lividus, aut niger est, quodlibet horum colorum acciderit, vitiosus est.

XL. Si vero omnes affatim in eodem appareant, mortis periculum valde timendum est.

XLI. Ad ultima ventum esse testatur lividus vomitus, praecipue si malus in hoc odor est.

XLII. Si quidem foetores in quovis vomitu mali sunt.

De sputo.

XLIII. In pulmonis, *laterumque* doloribus oportet, ut sputum celeriter, facileque screetur

XLIV. Et *flavum* sputo vehementer misceatur.

XLV. Etenim, si multo post doloris initium, aut *flavum*, aut rufum, aut non sine multa tussi, nec adeo commixtum exspuitur, vitiosum censetur.

XLVI. Quippe *flavum*, si sincerum quoque fuerit, periculum subesse testatur; album vero, viscidum, et rotundum inutile est.

XLVII. Mali etiam morbi testimonium est, quod admodum viride, quodque spumosum est.

XLVIII. Id vero omni alio deterius est, quod sic est sincerum, ut nigrum quoque videatur. Neque tutum est sputum, quod non expurgatur, nec projicit ipsum pulmo, sed ob nimiam plenitudinem fervet in gutture.

IL. In omnibus morbis pulmonis, *gravedo*, sternutamen-

tumque, sive praefuerint, sive supervenerint, periculum ostendunt; quamquam in caeteris morbis vel periculosissimis utilitate non carent.

L. Sputum *flavum*, cui parum sanguinis admixtum est, in morbi principio, inflammato pulmone, projectum securitatem, atque auxilium pollicetur: quod vero ad septimum usque diem, longiorive spatio tale apparet, non adeo tutum est.

LI. Omne sputum, quod dolorem non mitigat, malum est. Nigrum, ut supra demonstravimus, pessimum est. Sed longe saluberrimum est id, quod dolorem placat.

De suppuratione.

LII. Dolores in dictis sedibus, quos neque sputi purgatio, neque soluta alvus, neque sanguinis missio, neque medicamentum, neque victus ratio sedare potuit, scire licet eos ad suppurationem tendere.

LIII. Suppuratio erumpens, sputo adhuc bilioso apparente, sive bilis seorsum, sive una cum pure exspuatur, admodum perniciosa est.

LIV. Praesertim si die morbi septimo incoeperit *pus cum* hujusmodi sputo procedere.

LV. Itaque timendum est ei, qui sic expuit, ne decimaquarta die moriatur, nisi salutiferum aliquod indicium interea superveniat.

LVI. Porro bonae spei signa sunt, si aeger bene sustinet morbum, si facile spirat, si dolor levatus est, si sine difficultate screat, si corpus aequaliter molle, et calidum est, ne-

que sitis infestet, praeterea urina, alvi sedimina, somni, sudores, ut de singulis supra demonstravimus, probe respondent; quorum si nullum deest, haudquaquam aeger morietur. Contra si intolerabilis est morbus, si *respiratio magna*, et frequens est, neque mitigatus est dolor, vix sputum redditur, sitis vehementer cruciat, febris inaequaliter corpus afficit; si denique venter, et latera vehementer calent, fronte, manibus, et pedibus frigore affectis; atque urina, et alvi excrementa, et somni, et sudores ex supra propositis notis periculum minantur; quidquid horum jam dicto sputo supervenerit, aut nono, aut undecimo die aegrum moriturum significat, ita ut decimum quartum non queat attingere. Hujusmodi conjectura

lethale *istud* sputum consequi oportet, quod videlicet ad decimum quartum diem aegrum vivere non permittit. Ex praedictis itaque signa, tum bona, tum mala perpendere, ac subinde futura praedicere oportet.

LVII. Reliqua autem vomicae magna ex parte rumpuntur, sed aliae in die vigesimo, aliae trigesimo, aliae quadragesimo, nonnullae ad sexagesimum usque perveniunt.

LVIII. Proinde suppurationis initium observare oportet, quod ab eo die *faciendum* est, quo primum quis, aut febricitavit, aut inhorruit, aut pro dolore gravitatem illius partis sensit, quam antea dolor infestabat. Nam talia in suppurationum principio accidere solent. Ab hoc igitur tempore usque ad jam definita spatia, vomi-

carum eruptiones expectandae sunt.

LIX. An vero alteram dumtaxat partem vomica occupet, ex his fere notis perpendere licet; si alterum latus dolore cruciatur, et altero calidius est; atque ubi in partem sanam aliquis decubuit, interrogatus, onerari eam veluti ex pondere aliquo respondeat; quibus cognitis, in eo latere suppurationem esse conjicies, cui gravitas incumbit.

LX. Suppuratos omnes hoc pacto deprehendes: si febris non dimittit, eaque interdiu levior est, noctu increscit, multus sudor oritur, tussiendi cupiditas est, sed nihil pene excreatur, oculi cavantur, malae rubent, ungues in manibus curvantur, digiti, maximeque summi calent, pedes tument, cibi

fastidium est, pustulae toto corpore nascuntur.

LXI. Atque diuturnarum vomicarum hae sunt notae, quibus haud dubia fides adhibenda est. Sed quae breviori spatio duraturae sunt, *sic indicantur: si quid eorum appareat, quae inter initia fiunt*; simul si spiritus majori cum difficultate trahitur.

LXII. Celeriorem tardioremve eruptionem ita conjicies: si protinus ab initio *dolor*, *et* tussis fuit, et spiritus difficultas, atque sputi excretio, vomica intra vigesimum diem erempet. Si vero non adeo vehemens fuerit dolor, caeteraque illi ex proportione respondeant, serius ruptura sequetur: quo tempore, et dolorem, et spirandi difficultatem minui, atque sputi screatum increscere, ante videlicet puris eruptionem, necesse est.

LXIII. Caeterum à periculo tuti sunt, quibus eadem die, qua eruptio facta est, febris conquievit, desieruntque urgere cibi fastidium, et sitis: alvus exigua quaedam, et figurata reddit, pus album, laeve, simplici colore, et sine pituita est, atque sine dolore, levi tussicula, ejicitur. Hae sunt notae perquam salutares, quae celeriter liberant hominem. Ab his securitatem pollicentur, quae ad ipsas proxime accedunt. At certum periculum est, si febris non conquievit, aut post quietem repetit. Item si sitis est, si cibi fastidium, si venter liquidus, si pus est lividum, aut ex *viridi* pallidum, *si* nihil nisi spumantem pituitam aeger screat. Itaque servari non possunt, quibus omnia haec accidunt: quibus vero non omnia,

alii quidem moriuntur, alii vero post longa temporum intervalla, sani evadunt. Ex omnibus autem jam propositis conjecturis reliquarum quoque affectionum signa considerare oportet.

De abscessibus.

LXIV. Quibus ob laborantem pulmonem abscessus secundum aures oriuntur, et in partibus infernis suppurantur, ac *fistula facta aperiuntur*, iis secunda valetudo contingere solet.

LXV. In quibus hujusmodi notas observabis: si febris non conquiescit, neque dolor mitigatur, si sputum non pro ratione ejicitur, si alvus, neque biliosa, neque liquida, neque sincera excernit, *neque urina permulta est cum copioso sedimento*, ac reliqua quoque signa omnia

securitatem polliceantur, ejusmodi abscessus expectandi sunt.

LXVI. Qui aliis quidem eveniunt in partibus infernis, si quodammodo inflammata fuerint praecordia, aliis vero in superioribus, si praecordia *sunt mollia*, neque dolore infestantur; sed accedit pro tempore spiritus difficultas, quae deinde sine ulla evidenti occasione quiescit.

LXVII. In vehementi, periculosaque peripneumonia, non inutiliter in cruribus nascuntur abscessus; nec potest aliud quidquam melius accidere, praesertim si mutato sputo sic appareant; sive enim tumor, sive dolor sentitur, sputo *flavo* in pus jam converso, excretoque, tutissimum id indicium est. Nam et aeger à periculo liberatur, et abscessus doloris expers celerrime conquiescit. At, si neque

sputum probe excernitur, nihilque residet in urina, quod bonam spem fulcire videatur, ne ex eo articulo claudicet aeger, vel plurima certe sustineat negotia, periculum est.

LXVIII. Si vero *subsidunt* abscessus, *atque intro recurrunt*, non prodeunte sputo, ac perseverante febre, gravis timor est; ne delirium subeat aeger, aut moriatur.

LXIX. Sane ex suppurationibus, quas pulmonum morbi concitarunt, fere seniores moriuntur; ex caeteris juniores.

LXX. Lumborum, inferiorumque partium dolores, quibus febris quoque accedit, si ad *diaphragma* transeunt, relictis inferioribus, admodum perniciosi sunt: animadvertenda tamen reliqua quoque indicia sunt; si enim periculosum aliquod sig-

num accesserit, hominem à spe deponit.

LXXI. Quum uruntur suppurati, si pus fluxerit purum, candidum, et sine foetore, servantur: si vero subcruentum, coenosumque pereunt. Si ad *diaphragma* malum ascenderit, nullo reliquorum signorum periculum ostendente, futurae suppurationis indubitata spes est.

Ex vesica notae.

LXXII. Vesica dura, dolens, grave periculum, *et* lethale comminatur; idque *maxime*, si continua quoque febris accesserit. Nam vesicae dolores validam necandi vim obtinent: quo tempore alvus etiam nihil reddit, nisi dura quaedam, ac ne ea quidem, nisi cogatur.

LXXIII. At vero urina pu-

rulenta procedens, in qua residet album, et laeve, metum detrahit.

LXXIV. Quod si ab hujusmodi urina dolor levatus non est, neque vesica mollior effecta est, neque febris conquievit, laborantem per primos morbi circuitus moriturum denunciandum est.

LXXV. Id vero pueris, à septimo anno ad decimum quintum praecipue, evenire solet.

PRÆSAGIORUM

HIPPOCRATIS

LIBER III.

I. Febres, sive sanus ab ipsis quis evadat, sive pereat, aequali dierum numero finiuntur.

II. Ut enim saluberrimae febres, quae videlicet tutissimis fulciuntur notis, die quarto, vel antea quiescere solent; ita pessimae quaeque, et quibus periculosissima adsunt signa, die quarto, vel citius interficiunt.

III. Primus itaque earum insultus ita finitur; alter in septimum diem producitur, tertius in undecimum, quartus in decimum quartum, quintus in decimum septimum, sextus in vigesimum. Igitur accessiones ipsae ex acutissimis morbis per quatuor in viginti auctae finiuntur.

IV. Verum hujuscemodi supputatio per dies integros nimirum fieri non potest; quippe quum nec annus, nec menses ipsi integris numerentur diebus.

V. Deinde eadem ratione, atque additione, primus circuitus ad quatuor et triginta, alter ad quadraginta, tertius ad sexaginta dies perveniet.

VI. Sed hujusmodi morbos, qui longiori spatio finiri debent, ab initio perquam difficile est discernere, quod simillima sint eorum principia. Animadverte-

re tamen à prima die oportet, atque singulos dierum quaterniones observare; sic enim haud obscure scies, quo se conversurus sit morbus.

VII. Ac quartanae quoque conditio hunc servat ordinem.

VIII. Morbi autem tempore brevissimo finem attingentes facilius dignoscuntur, utpote qui maximis protinus ab initio distinguuntur differentiis; siquidem ad sanitatem tendentes facile spirant, non dolent, dormiunt noctu, ac reliqua quoque signa maximam eis securitatem pollicentur.

IX. Perituri vero difficulter spirant, delirant, vigilant, caeteraque id genus pessima signa eis accedunt.

X. Igitur (his sic se habentibus) morbos ad judicium tendentes conjectura consequi oportet, et ex tempore, et ex singulis additionibus.

XI. Ita eadem quoque ratione in mulieribus morborum judicia à partu numeranda sunt.

XII. Capitis in febre vehementes, perpetuique dolores, accedente lethalium notarum aliqua, valde sunt perniciosi: Si vero nullo tali signo apparente, diem vigesimum dolor excesserit, neque febris conquiescat, ex naribus sanguinis fluorem, aut in partibus inferioribus abscessum expectabimus. Similiter dolori etiam recenti sanguinis profusio ex naribus, aut supuratio supervenire solet, praecipue si dolor et tempora, et frontem infestaverit.

XIII. Maxime vero sanguinis fluxio spectanda est in juvenibus, qui quintum et trigesimum annum nondum superave-

runt; nam majoribus natu suppuratio fere oritur.

XIV. Auris dolor acutus cum febre non intermittente, vehementique, grave periculum minatur; nam, et mentem turbat, et hominem rapit. Quum igitur *his fallax sit modus*, à primo protinus die omnibus signis accurate animum adhibere oportet.

XV. Nam ex eo casu juniores quidem intra septimum diem, seniores vero multo tardius moriuntur: quippe qui non aeque magnas *patiuntur* febres, neque adeo insaniunt; proinde sustinere possunt, donec suppuretur affectus. Quod si morbus hac in aetate revertatur, maxima ex parte interficere solet. Sed juniores, antequam auris suppuretur, pereunt; nisi pus candidum ab ea defluens securitatem polliceatur; praesertim ubi

salutarium quoque signorum aliquod apparet.

XVI. Neque leviter terreri debemus, ubi febricitanti fauces exulcerantur: cui si aliud quoque ex malis signis, quae supra declaravimus accesserit, in periculo hominem versari denunciandum est.

De angina.

XVII. Angina periculosissima est, celeriterque enecat, si neque in faucibus, neque in cervice quicquam apparet: si dolor vehemens est, si vix spiritus trahitur; etenim eodem die jugulat, licet interdum usque ad secundum, aut tertium, aut etiam quartum protrahatur.

XVIII. Quae vero in reliquis quidem non minori dolore afficit, in faucibus vero tumo-

rem, ruboremque excitat, superiori non minus periculosa est; sed longius spatium habebit; praecipue si vehemens fuerit rubor.

XIX. Sed tum praecipue malum prolongatur, quum non solum fauces, sed cervicem quoque rubor occupat. Maxime vero potest ab ea secunda valetudo contingere, si rubor simul et *collum*, et pectus comprehendat, neque ad interna revertatur erysipelas.

XX. Quum vero deletur erysipelas, sed non in decretoriis diebus, neque in exteriores partes convertitur tumor, neque pus screat aeger, sed levis, et à dolore immunis videtur; id aut mortem significat, aut dolorem *reversurum*.

XXI. Tutius est et tumorem, et ruborem in externas maxime

partes converti; si vero ad pulmonem conversio fiat dementiam excitabit, quamquam nonnulli sic affecti magna ex parte suppurantur.

XXII. Gurgulio, si cum rubore tumescit, sine periculo praecidi non potest; etenim inflammatio, sanguinisque profusio ei accedit. Proinde satius est aliis quibusdam auxiliis uti, quibus extenuari possit: Quum vero pallidior efficitur, uva nominari solet; quod si tum ima ejus pars crassa, et rotunda, summa vero tenuis videatur, intrepide praecidi debet. Satius tamen fuerit, antequam manus adhibeatur, alvum vacuare, si tempus id ita permittat, ut interim suffocatio hominem non praeocupet.

XXIII. Quibus febres, neque salutaribus notis apparentibus, neque in diebus decretoriis

conquiescunt, ii reversionem timere debent.

XXIV. In longa febre ex qua tamen aeger liberari potest, si neque ob inflammationem, neque ob aliam ullam manifestam causam dolor infestat; aut tumidum, aut dolorosum in articulis abscessum expectare oportet, praecipue in imis partibus.

XXV. Maxime vero in his aetatibus, quae triginta annos non excesserunt, ejusmodi abscessus nasci consueverunt, idque in tempore breviori.

XXVI. Non tamen expectandus est abscessus, donec vigesimum diem febris praeterierit.

XXVII. Is natu majoribus raro accidit, quamvis longo spatio duret febris.

XXVIII. Solet etiam continuis febribus abscessus super-

venire. *Intermittens* vero febris, eademque errabunda, in quartanam mutabitur, praecipue si autumnus proximus est.

XXIX. Atque, ut abscessus oriuntur in his, qui triginta annis minores sunt; ita quartana eos, qui trigesimum annum, aut agunt, aut excesserunt, praecipue corripit.

XXX. Igitur scire licet, abscessus hieme magis accidere, serius finiri, et *minus intro recurrere.*

De vomitione spontanea.

XXXI. Si cuipiam in non lethali febre caput dolet, aut ante oculos obscura quaedam obversantur, *et etiam oris ventriculi morsus* accidit, is bilem evomet. Si vero *rigor apprehenderit*, et inferiores praecordiorum par-

tes frigore afficiantur, citius ad vomitionem properabit, quod si eo tempore quidpiam aut biberit, aut ederit, id quoque quam celerrime evomet.

XXXII. Quibus itaque à primo protinus die dolor supervenerit, iis quarto, et quinto die ingravescit; mox in septimo liberantur. Sunt non pauci, qui tertio die dolere incipiunt, quinto maxime molestantur, deinde nono, vel undecimo tuti evadunt. Sed quos dolor quinto die vexare coeperit, *et* reliqua *pro ratione prioribus* respondeant, iis decimo quarto die finitur morbus

XXXIII. Haec tum viris, tum mulieribus, sed in tertianis maxime contingere solent. Junioribus vero, cum in iis ipsis, tum praecipue in *perassiduis* febribus, *et* tertianis sinceris.

XXXIV. Itaque quibus in

hujuscemodi febre caput dolet, oculi vero obscuras illas imagines non vident; sed caligatione hebetantur, aut splendentia quaedam cernere se putant, ac *loco morsus oris ventriculi*, in alterutra parte praecordia tenduntur, ac neque dolor infestat, neque inflammatio, iis pro vomitu sanguis è naribus profluet; idque praecipue junioribus, accidit. Si vero trigesimum annum, vel agunt, vel superaverunt vomitum potius, quam sanguinis fluorem, expectabimus.

De convulsione.

XXXV. Si pueris in acuta febre alvus nihil dejicit, neque somnus accedit, sed terrentur, flent, color mutatur, ut modo *ex viridi* pallidus, modo lividus, aut ruber efficiatur, nervorum

distensio timeri debet; utpote quae pueros, qui septimum annum nondum excesserunt quampromtissime invadit. Grandiusculos vero pueros, atque adultos, non adeo in febribus nervorum distensio praehendit, nisi vehementis admodum malitiae signum aliquod affuerit, qualia videlicet in phreniticis videntur.

XXXVI. Ergo ex omnibus signis, ut de singulis morbis singula praescripta sunt, et morituros, et eos, qui ad bonam valetudinem redire poterunt, sive pueri sint, sive natu majores, sic conjicere oportet.

XXXVII. Atque haec de acutis morbis, atque de his, qui ab iis nascuntur dixisse velim.

XXXVIII. Ceterum si recte discernere volueris et morituros, et eos, qui à periculo tuti

sunt, et quis morbus longo, et quis breviori spatio finietur, disce omnium signorum inter se collatorum, vires, ut supra demonstravimus, accurate judicare, tum aliorum, tum praecipue urinae, ac sputi, quum scilicet simul, et pus et bilem aeger screat.

XXXIX. Item *populariter grassantium* quoque morborum impetum, ac temporum anni conditionem accurate observare oportet.

XL. Postremo quod ad conjecturas, reliquaque signa pertinet, haud quaquam vel ignorandum, vel negligendum est, quod quovis anno, et quovis anni tempore, mala signa timorem, utilia vero bonam spem denunciant.

XLI. Etenim in Lybia, et Delo, atque Scythia proposita

haec signa vera esse comprobavimus.

XLII. Unde scire licet, iisdem terris multo plura, quam supra proposuimus, illum facile assequi posse, qui ea recte et judicare, et perpendere didicerit.

XLIII. Sed nullius morbi hic non descripti nomen desiderandum est: nam omnes, qui in dictis temporum spatiis morbi finiuntur, iisdem quoque indiciis discernuntur.

FINIS.

APHORISMORUM,

PRÆSAGIORUMQUE

HIPPOCRATIS

INDEX,

In quo numerus romanus sectionem, vel librum indicat; arabicus sectionis, vel libri textum: littera p. praesagia.

Abortus quibus in mulieribus facilis. V. 44. 45.
Abscessus quid. IV. 31.
In debili parte excitatur. IV. 32. 33.
Hunc praenunciant lassitudines. IV. 31.
Quid eundem impediat. IV. 33.
Abscessus febrem non solventes lon-

gitudinem praesagiunt. IV. 51.
In febribus fiunt continuis. p. III. 28.
Qua potissimum aetate expectandi. p. III. 25., 27., 29.
Frequentiores in pueris. ibidem. 34.
Quibus febris diebus accidant. ibid. 26.
Hyeme facilius excitantur, seriusque finiuntur. ibid. 30.
Qua in parte expectandi. VII. 36. p. II. 66.
In peripneumonia utiles ad crura. p. II. 67.
Supurantes perraro in peripneumonia ocurrunt. ibid. 64.
Iis tamen eadem interdum discutitur. ibid.
Abscessu intro recurrente aut delirii metus est, aut mortis. p. I. 68.
Abscessus futuri signa. ibid. 65.
Accessio febris. I. 11.
Acidum eructantes raro fiunt pleuritici. VI. 33.
Acutas febres aeris gignit siccitas. III. 7.
Acuti morbi quinam II. 19.

In quatuordecim diebus judicantur. ibid. 23.
Et quinam inter eos. ibid.
Exitus praesagium omnino certum non habent. II. 19.
Purgationem plerumque rejiciunt. I. 24.
Adolescentes inediam difficulter ferunt. ibid. 13.
Adolescentium morbi. III. 16. 29.
Aeris aestus fortiora purgantia non patitur. IV. 5.
Siccitas quos morbos pariat. III. 16.
Humiditas quos gignat. ibid.
Æstas, corporisque gracilitas vomitui favent. IV. 6.
Similis veri sudores in febribus portendit. III. 6.
Æstatis morbi. ibid. 21.
Æstus vehemens, morsusque oris ventriculi in acuta febre pessimus IV. 65.
Ætas opportuna phthisi. V. 9.
Ætate plures morbi curantur. III. 28.
Ætates ad alia bene, maleve se habent. ibid. 3.
Alvi fluxus comitatur hydropem. p. II. 2.

Lethalis in tabidis V. 12. 14.
Alvi fluxus non semper proximam mortem denunciat. ibid. 11.
Ex longo morbo malus. VIII. 5.
Alvi profluvium vomitus solvit spontaneus. VI. 15.
Alvus in juvenibus humida, iis Senescentibus exsiccatur, et è contra II. 20.
Mollis in juvenibus sicca salubrior. ibid. 53.
Angina latens. p. III. 17.
Periculosissima, celeriterque jugulat. ibid.
Angina ad pulmonem versa delirium, suppurationemque movet, saepeque etiam interimit. V. 10. p. III. 21.
Anginae superveniens tumor in collo, bonum. VI 37.
Interdum etiam, malum. ibid.
Anginam saepe lavat colli, pectorisque rubor. p. III. 19.
Rubor idem evanescens sine ratione, aut mortem, aut morbi exasperationem significat. ibidem. 10.
Anginae apud nos benigniores incidunt. p. III. 21.
Angina affectum, tumor in pecto-

re, ruborque juvat. VII. 49.
Anxii qui dicantur. p. I. 19.
Anxietas quando lethalis. IV. 65. p. I. 19.
Apoplexia fortis quaenam. II.
Hanc solvere est impossibile. ibidem.
Debilis quaenam. ibid.
Haec quoque solutu difficilis. ibid.
Apoplexiae reditus in senibus facilis. II. 24.
Signa ejusdem futuri reditus. ibid.
Apoplexiae aetas opportuna. VI. 57.
Aqua quae levissima. V. 26.
Aqua in hydropicis educi potest affatim, universimque. VI. 27.
Aqua repleti anteriores cerebri ventriculi p. III. 12.
Aquilonis mali effectus. III. 5. 17.
Ascarides vermes. III. 26.
Ascites hydrops VI. 27.
Asthma quid. III. 22.
Atra bilis lethalis morbo inchoante. IV. 22.
In extenuatis postridie occidit, interdumque eadem die. ibidem. 23.

Atrae bilis eruptio solet reverti. ibidem. 21.
Malitiam non tam color, quam accidentium gravitas declarat. ibidem.
Auris dolor cum febre vehementi, assiduaque formidandus. p. III. 14.
Delirium facile movet. ibid.
Suppuratione in juvenibus saepe solvitur. ibid. 15.
Interdum quoque haemorragia, ibidem.
Austri damna. III. 5. 17.
Autumni morbi. III. 22.
Autumno morbi acutissimi. ibid. 9.
Autumnus tabidis malus. ibid. 10.

B

Babi ad alvi fluxum proclives. VI. 32.
Biliosae dejectiones cessant superveniente surditate, et è contra. IV. 28.
Bubo quid. IV. 55.
Bubone febres malae praeter diarias. ibid.

C

Cachexia, malus habitus III. 31.

Calidum quae mala pariat. V. 16.
Ejus salutaris effectus. ibid. 22.
Calor ubi, aut frigus, ibi morbus. III. 39.
Caloris, frigorisque mutationes longitudinem morbi significant. ibid. 40.
Cancer quid. VI. 38.
Occultus curari non debet. ibid.
Quisnam sit curandus, et quomodo. ibid.
Capitis dolor ex aere. III. 13.
Febri quandoque curatur. VI. 51.
Quaenam febris, et quando invadens id ipsum praestet. ibidem.
Cum acuta febre perniciosus. p. III. 12.
Lethalis et ejus signa. ibid.
Quibus diebus finiatur p. III. 32.
Bilis vomitu saepe depellitur. ibid. 31.
Solvitur etiam interdum abscessu, interdum haemorrhagia. p. III. 12.
Quando vomitu, quando fluxu sanguinis tollatur. ibid. 34.

Mensium quoque eruptione cessat, alvi fluxu, sputis, aliisque p. III. 13.
Capitis dolori quid prosit. VI. 10.
Capitis dolorem praenunciant urinae perturbatae. IV. 70.
Capitis lethalis per morbos motus. p. I. 15.
Catarrhi in valde senibus difficulter coquuntur. II. 40.
Cito senes extinguentes. III. 12.
Quot diebus coquantur. VII 38.
Cautiones in purgandis corporibus. IV. 1.
Cerebri concussi accidentia. VII. 58.
Cholera. III. 30.
Cibi fastidium in longa dysenteria malum. VI. 13.
Cibi quibus temporibus facilius, quibus aegrius ferantur. I. 18.
Cibo laeduntur impura corpora. II. 10.
Cibus in accessione faebrium noxius. I. 11.
Copiosior morbum facit. II. 17
Cibus febricitanti morbus. VII. 62.
Suavior in suavi, licet meliori, praeferendus. II. 18.

Circuitus febris quid. I. 11.
Cocti, non crudi, sunt humores purgandi. I. 22.
Coctionis signa in urina. p. II. 26. 27.
Colli perversio sine tumore in acuta febre lethalis. IV. 35.
Comedentem à morbo non proficere malum. II. 31.
Comitiales morbi, si in pubertate non desinunt, post 25. ann. rare curantur. V. 7.
Conceptus signa. ibid. 62.
Consistere morbum quid sit. I. 10.
Consueta, quamvis deteriora, minus insuetis molesta esse solet. II. 50.
Consuetudo observanda in victus ratione. I. 16.
Convalescentes à morbo cibis non proficere quid significet. II. 8.
Si non proficiant cibum fastidientes, purgandi sunt. ibid.
Convulsio quid. II. 26.
Ex vigilia proficiscens, malum. VII. 19.
Saepe febri super veniente solvitur. II. 26.
Quaenam eam non solvit febris. ibid.

Febris ad eam ipsam solvendam apta ibid.
Mala febri superveniens. II. 26.
Haec tamen in pueris minus formidanda. bid.
Convulsiones evanescere solent variolis erumpentibus, quae sub easdem variolas excitantur. VII. 41.
Interdum occidunt puerulos qua eos invadunt die. ibid.
Convulsiones in febribus variolarum secundariis saepissime pueros jugulant. ibid.
Lethales quaenam. V. 3.
Convulsionibus quartana prodest. V. 70.
Convulsionem movens cholera. ibidem. 4.
Convulsionis caussae ex Hipp. VI. 39.
Convulsio ex elleboro lethalis. V. 1.
Itemque ex vulnere ibid. 7.
Ex fluxu muliebri mala. V. 56.
Ex nimia purgatione mala. ibidem. 4.
Per somnum in acuta febre mala. IV. 67.
Convulsio in acuta febre, viscerumque dolor, malum. IV. 66.

Corpora crassiora difficulter ferunt purgationem. II. 36. 37.
Crassiora citius intereunt. II. 44.
Longo morbo extenuata lente reficienda. II. 7.
Corporis ejusque partium gravitas per morbos acutos periculosa. p. II. 7.
Extenuatio in morbis nimia, aut nulla malum significat. II. 28.
Proceritas senibus inutilis. ibidem. 54.
Corporibus humidis fames convenit. II. 59.
Corpus aequaliter calidum, molleque bonum. p. II. 5.
Plenius, ac succulentius periculosum. I. 3.
Hoc ipsum quantum debeat minui. ibid.
In morbis ipsum per se converti, ac facile surgere, bonum. p. II. 6.
Crisis quid. II. 13.
Duas habet partes. ibid.
Futurae sign. I. 8.
Crisi imperfecta fere morbus recrudescit. II. 12.

BIBLIOTECA DE FERMÍN HERRERO LARRIZ

Crisim praecedit nox gravis, leviorque sequitur. ibid.
Crisium salutarium signa. I. 2.
Cucurbitula mammis adhibita menses reprimit. V. 50.

D

Decubitus pronus quid significet. p. I. 22.
Supinus qualis malus. ibid. 17. 21.
Defectio animi ex fluxu muliebri mala V. 56.
Deglutitio impedita sine difficultate spirandi aliquando lethalis. IV. 15.
Dejectio sincera quaenam VII. 6.
In morbo diuturno mala. ibid.
Nigra pessima. IV. 21.
Interdum tamen haec quoque salutaris. ibid.
Frequens aegrotum fatigat. p. II. 14.
Respondere ingestis debet. ibid. 15.
Crassescere quoque in fine morbi. ibid. 16.
Periculosa quaenam. p. II. 20.
Quaenam damnanda. ibid. 21.

Dejectionem sinceram dysenteria subsequens, malum. VII. 23.
Dejectiones quaenam bonae. I. 2.
Malae quaenam. II. 14.
Biliosae cessant surditate superveniente. IV. 28.
Delirii futuri signa in pleuritide. VII. 12.
Delirium in absurdis sermonibus non semper consistit. II. 6.
Cum difficili spiritu in acutis febribus fere lethale. IV. 56.
Delirium, spiritus difficultas, vigiliae una ingruentes, signa sunt exitiosa. p. III. 9.
Deliria cum risu iis, quae cum studio fiunt, securiora. VI. 53.
Cum temeritate periculosissima. ibidem.
Deliria furibunda, et lacrimosa deteriora iis, quae cum risu fiunt, minus vero mala quam studiosa. ibidem.
Dentium nigrities in acutis febribus gravissima. IV. 53.
Stridor in acutis sine consuetudine pessimus. I. 24.
Destilationes, catharri, ubi probabi-

liter pro apoplexia accipiantur. III. 12.
Dies critici proprie sunt septenarii. II. 24.
Dies intermedii indices, et proprio critici. IV. 36.
Difficultas urinae III. 31.
Suppurato, ruptoque meatus urinarii tuberculo solvitur. VII. 57.
Difficultatem urinae venae sectio solvit. VI. 36.
Digiti, pedesque lividi in acutis morbis periculosi. p. II. 9.
Dispersus pedum, brachiorumque in acutis malum ostendit. p. I. 19.
Distensio nervorum. IV. 57.
Divinum in morbis quid. p 1. 7.
Dolor sine ratione in acutis evanescens delirii est indicium. II. 6.
Vehemens minus vehementem obscurat. II. 46.
Ingravescit dum pus conficitur. II. 47.
Ventris, lumborumque pertinax in hydropem siccum desinit. IV. 11.
Aurium in acuta febre periculosus. p. III. 14.

Ventris diuturnus cum febre suppurationem movet. VII. 22.
Viscerum, et convulsio in acuta febre, malum. IV. 66.
Acutissimus in graviori pleuritide fere funestus p. II. 51.
Dolorem qui omnino non sentiunt, delirant. II. 6.
Dolorem capitis posteriorem sectio venae frontis levat. V. 68.
Dolori capitis quid prosit. VI. 10. p. III. 12., 13., 31., 34.
Dolores oculorum solventia. VI. 31. VII. 46.
Partium inferiorum occultati in acutis febribus perniciosi. p. II 70.
Pessimi, si relictis inferioribus partibus, diaphragma occupent. ibid.
Pleurae, pulmonumque saepe suppurationem inducunt. p. II. 52.
Dysenteria. III. 2.
Ab atra bile lethalis. IV. 24.
Ex alvi profluvio. VII. 72.
Dysenteriae diuturnae lethalis exitus. VI. 43.

Dysenteriam lienteria secuta. VII. 73.

E

Ebrietas quando lethalis. V. 5.
Ex Ebrietate rigor, et desipientia, malum. VII. 7.
Elleborus periculosus in praepinguibus. IV. 16.
Empyi qui dicantur. ibid. 44.
Empyici quum secantur, quale pus securitatem, quale periculum ostendat. VII. 44.
Empyicorum sacandorum modus, tempusque ad id aptum. ibid.
Epilepsiam juvenum quae tollant II. 45.
Erisipelas in ossis nudatione. VII. 19.
Intro recurrens malum. VI. 25.
Putrescens, suppuransque malum. VII. 20.
Evacuationes an profuturae sint, necne, ante morbi exitum, scitu difficile. 2. I.
Evacuationes per loca conferentia faciendae. I. 2.
Ubi nec tollunt, nec minuunt morbum, tamen sustinentur, quid agendum. ibid.

Evacuationi nimiae quomodo occurrendum. I. 22.
Evacuationum salutarium signa. I. 2.
Perniciosarum indicia. II. 27. et IV. 1.
Evenientibus praeter rationem non fidendum. II. 27.
Evenientia praeter rationem nimium non sunt formidanda. ibid.
Excrementa alvi quaenam laudanda. p. II. 13.
Varia, ut mortem differant, tamen lethalia. ibid. 23.
Excrementorum mutationes ad bona juvant. II. 14.
Exercitatus homo liberalius alendus. I. 15.
Excreationes in febribus lividae malae. IV. 47.
Exsolutio quid. II. 41.
Frequens ac fortis sine causa manifesta repente occidit. ib.

F

Facies Hippocratica non semper praecedit mortem. p. I. 9. seqq.
Mortem praecedens qui cognoscatur. ibid. II.

Quibus in morbis, quibusque morbi temporibus appareat. ibidem. 12.
Restituta non semper sanitatem promittit. ibid.
In morbis longis pluribus ante mortem diebus, quam in acutis, apparet. ibid.
Fames humidis confert corporibus. VII. 59.
Quibus inimica. ibid.
Famem quinam difficulter ferant. II. 4.
Fauces quid. IV. 34.
Faucibus non tumidis strangulatio per acutas febres lethalis. ibid. 34.
Faucibus aegrorantibus quid observendum. II. 15.
Febris ardens. IV. 58.
Raro senes invadit. I. 14.
Invadens eos fere occidit. ibid.
Febris intermittens, erraticaque facile in quartanam mutatur. p. III. 28.
Febris ephemera. IV. 55.
Convulsionibus utilis quaenam. IV. 57.
Febres in senibus, licet parvae, magni faciendae. I. 14.

Quaenam abscessus gignant. IV. 31.
Tertio quoque die fortiores, magis periculosae. IV. 43.
Continuae, si intermiserint, periculo vacant. ibid.
Autumnales et compositae in quae mala transeant. IV. 43.
Intermittentes quos valeant interficere. ibid.
Longae tumores in articulis gignunt. IV. 44. p. III. 24.
Ex bubonibus malae praeter ephemeras. IV. 55.
Intermittunt, quae quotidie à rigore incipiunt. ibid. 63.
Tutissimae cito liberant. p. III. 2.
Pessimae cito enecant. ibid.
Febrium accessiones eadem hora incidentes, difficiles. IV. 30.
Recrudescentium caussae, p. III. 23.
Perquam acutissimarum, aliarumque circuitus. ibid. 3. seq.
Flatum sine strepitu exire in morbis, bonum. p. II. 24.
Cum sonitu, praeter voluntа-

tem, erumpere quid arguat. ibid.
Frigiditas extremorum cum interno aestu, siti, acutaque febri lethalis. IV. 48. p. II. 4.
Frigido ubi utendum. 23.
Frigidum quibus partibus, morbisque inimicum V. 17., 18., 20., 24.
Frigoris noxae. V. 17.
Frigus extremorum in acutis malum. VII. 1.
Cum aliis signis conjungendum ad mortem praedicendam. VIII. 13.
Furor, mania, quid. VI. 56.
Furori quaenam salutaria. VII. 5.
Melancholico haemorrhoides, varicesque prosunt. VI. 21.

G

Genarum pallor, aut livescentes, nigricantesque in iis venulae per acutos morbos, malum. I. 13.
Glaucedines senum morbi. III. 31.
Graciles diutius vivunt obesis. 11. 44.
Graciles et facile vomentes supra purgandi. IV. 6.

Gravedines, et raucedines difficulter solvuntur in senibus. II. 40.
Gravedo quid. ibid.
Gravida collapsis repente mammis abortit. V. 37.
Bene colorata marem, male feminam concepit. ibid. 42.
Laborans tenesmo plerumque abortit. VII. 27.
Gravida ex alvi fluxu periculum subit abortus. V. 34.
Gravidam acutus morbus persaepe occidit. ibid. 30.
Gravidae quaenam facile abortiant. ibid. 44. 45.
Gravidis uteri lethale erisipelas. ibidem. 43.
Gravidarum purgandarum tempus. IV. 1.
Grumorum sanguinis mictus. IV. 80.
Gurgulio quid. p. III. 22.
Inflammatus, tumensque qua ratione curandus ibid.

H

Hemorrhoides, varicesque juvant maniacos. VI. 21.
Haemorrhoidibus curatis quaenam instent pericula. ibid. 12.

Hepatis inflammatio singultum movet V. 58.
Hieme et vere liberius alendum. I. 15.
Hiemis morbi. III. 33.
Humores, quo vergunt, ducendi, evacuandique. I. 21. et IV. 4.
Hydrops ascites. VI. 27.
Siccus, sive tympanitis. IV. 11.
Hydropem alvi profluvium valet solvere. VI. 14.
Hydropi inveterato tussis supervéniens lethalis. VI. 35.
Hydropici quinam, et quando purgandi. ibid. 14.
Ex acuto morbo facti admodum periclitantur. p. II. 1.
Hydropicos quosnam tussis vexet. p. II. 3.
Hydropis sicci inminentis signa. ib.
Hypochondria mollia, et sine dolore esse in acutis optimum indicium est. p. I. 13.
Hypocondriorum dolores, elevationesque sine febre saepe flatuum eruptio solvit. p. II. 25.
Hipochondriorum pulsus delirium minatur. p. I. 32.
Tumores inflammatorii per initia morbi mortem proxi-

mam portendunt. ibid. 34.
Iidem tumores post 20. dies solent suppurare. ibid.
Haemorrhagia 7. orta die iis ipsis prodest tumoribus. ibid. 35.

I

Icteritia. IV. 62.
Febri superveniens quaenam bona, et quando ibid. 64.
Ictérici non multum flatuosi. V. 72.
Ictericis hepar indurescere, malum. VI. 42.
Ileos quid. ibid. 44.
Ex eo singultus, delirium, convulsio, malum. VII. 10.
Impetigines. III. 20.
Inedia plurium dierum. II. 4.
Ischiadicorum curatio, ne claudicatio consequatur. VI. 60.
Judicatio morbi. I. 20.
Judicii difficultas unde pendeat. ib. 1.

L

Labrorum signa mortifera. VIII. 14. p. I. 15.
Quibus praesertim in morbis ib.
Lac copiosius imbecillum foetum significat. V. 52.

Extra graviditatem, puerperiumque interdum gignitur. ibid. 39.
Epotum quibusdam noxium. ibidem. 64.
Lacrymae non voluntariae per acutos morbos malae. IV. 52.
Lassitudines spontaneae quaenam. II. 5.
Abscessum portendunt. ibid. 31.
Lentores in febribus circa dentes, dentiumque nigrities acutum gravemque morbum significant. ib. 53.
Lethargus. III. 23.
Letargicorum tremor malus. VIII. 8.
Leucophlegmatia ascite curatu facilior. VII. 14.
Forti alvi fluxu solvitur. VII. 29
Lienosi quinam. VI. 34.
His dysenteria utilis. ibid. 48.
Lienteria. III. 22.
Lingua nigra, cruentaque, et sicca in acutis mala. VIII. 9.
Linguae incontinentia quid significet. VII. 40.
Linguae lethalis motus in morbis. p. I. 15.
Lumbricos cum excrementis exire sub morbi finem expedit p. II. 18.

Eosdem ne praestet vivos descendere, an mortuos? ibid.

M

Malus habitus. III. 31.
Mammae repente exstenuatae quid praesagiant. V. 53.
Mania. V. Furor.
Manibus scalpere in acutis lethale. p. I. 26.
Non tamen idipsum perpetuo lethale. ibid.
Medico consideranda. VII. 76.
Melancholia. VI. 56.
Melancholiam quinam sequantur morbi. ibid.
Melancholici quinam fortius purgandi. IV. 9.
Melancholicis haemorrhoides utiles. VI. 11.
Menses decolores, inordinatique. V. 36.
Mensium eruptio sanguinis sputum vomitumque tollit. ibid. 32.
Missio sanguinis ad animi deliquium damnatur. I. 23.
Morbi principium quodnam. ibid. 24.
An purgationem postulet. II. 29.
Morbi reversuri signa. ibid. 12.

Sedem, non urina, sed partis labor indicat. IV. 76.
Vigor, sive status. 1. 8.
Morbi acuti quinam. II. 19.
Purgationem fere respuunt. ibid.
In 14. diebus judicantur. ib. 23.
Longi vix curantur in senibus. ibid. 39.
Morbi à nimia pluvia. III. 16.
A nimia siccitate. ibid.
Puerulorum. III. 24., 25.
Adolescentium. ibid. 19., 29.
Senum. ibid. 31.
Ex acutis decidentes, p. III. 6.
Morbi comitialis varia nomina. III. 29.
Morbo incipiente non purgandum. I. 22.
Morbis vigentibus quiescendum. II. 29
Morborum acutorum non omnino certum praesagium saluti, aut mortis. ibid. 19.
Morborum in mulieribus dies an à partu sint numerandi. p. III. 11.
Populariter grassantium ratio maxime attendenda. ibid. 39.
Morbus simpliciter acutus. 1. 4.
Peracutus. ibid. 7. IV. 10.
Regius. IV. 62.

Mulier perquam crassa difficulter concipit. V. 46.
Mulier quaenam facile abortiat. ibidem. 44., 45.
Bene colorata marem, male feminam concepit. ibid. 42.

N

Narium constrictio signum in morbis pessimum. p. 1. 9.
E naribus sanguinis fluxuri signa. ibid. 35.
Nasi perversio, pallor, livor notae sunt mortiferae. ibid. 15.
Natura crassiores citius intereunt. II. 44.
Naturarum aliae ad hiemem, aliae ad aestatem salubrius degunt. III. 2.
Naturae omne nimium nocet. II. 51.
Utiles motus adjuvandi, si deficiant. IV. 1.
Conatus quinam reprimendi. ib.
Nervorum distensio, rigor ibid. 57.
Rigore correpti in 4. diebus pereunt. V. 6.
Nervorum distensionis signa in pueris. p. III. 35.
Nervorum distensioni pueri corpu-

lentiores, somnolentique obnoxii. ibid.
Nigra urina pessima. p. II. 32. seq.
Niger vomitus vitiosus. ibid. 30.
Nigrae in urinis nubeculae malae. ibid. 29.
Nigrum sputum deterrimum. ibid. 48. 51.
Nox gravis crisim praecedit. II. 13.

O

Oculis caligantes, lucemque aversantes, malum. VIII. 15.
Oculi illacrimantes, lumen fugientes sine ullo in iis vitio, malum. p. 1. 13.
Oculorum doloribus quae conferunt. VI. 31. VII. 46.
Signa lethalia. VI. 52.
Perversio, concidentia, tumor, malum, p. 1. 13.
Frequens motus, aut tardior, aut fixus intuitus, malum. ib.
Album rubore perfusum, sordesque circa pupillam apparentes, malum. ibid.
Frequens motus furorem pronunciat. p. 1. 32.

Omentum, nisi reponatur, putrescit. VI. 58.
Ophthalmia quid. III. 11.
Sicca quaenam ibid. 12.
Oris exulcerationes aestate gignuntur. ibid. 21.
Osse nudato erysipelas. VII. 19.
Ossis abscessuri signa in ulceribus diuturnis. VI. 45.
Corrupti caro livida malum. VII. 2.
Cura ejusdem. ibid.
Corruptionem abscessus ejusdem consequitur. VII. 74.

P

Palpebrae per somnum non comissae, malum. 1. 14.
Pectus assidue nudare inflammato pulmone, exitiosum. ib. 19.
Pedum, brachiorumque dispersio in acutis pessima. ibid.
Frigidorum nudatio frequens itidem pessima. ibid.
Peripneumonia. III. 23.
Huic accedens phrenitis, malum. VIII. 12.
Phrenitis III. 30.
Phthisi obnoxii. IV. 8.

Phthisis imminentis signa post sanguinis sputum. VII. 25.
Phthisicis vomitus inutilis. IV. 7.
Funestus capillorum defluxus, sputique foetor. V. II.
Alvi fluxus perniciosus. ibid. 12., 14.
Hic tamen non semper mortem indicat imminentem. ibid. 12.
Pleuritis. III. 23.
Eo citius finitur, quo citius apparet sputum. 1. 12.
A Pleuritide, et peripneumonia alvi fluxus, malum. VI. 16.
A Pleuritide peripneumonia malum. VII. 11.
Pleuritis in 14. diebus non sanata suppurat. V. 8.
Pleuritici suppurati quonam tempore ad phthisim transeant. ibid. 15.
Pleuritidum graviorum sedes. VII. 11.
Podagra quosnam raro infestet. VI. 28., 29.
Finiri solet 40. diebus. VI. 49.
Quibus moveatur temporibus. ibid. 55.
Ad nasum repens inveterata fere funesta ibid.
Profluvio sanguinis delirium, con-

vulsione accedens, malum. VII.
Pudenda retracta quid indicent. p. 11. 10.
Pueri inediam vis sustinent. 1., 13.
Quinam facile convulsionibus corripiantur. III. 25. p. III. 35.
Pueris familiares abscessus. p. 111., 34.
Itemque haemorrhagia. 111., 27.
Humidum alimentum confert., 1., 16.
Puerorum morbi quando finiantur. 111., 28.
Puerulorum morbi. 111., 24., 45.
Pulsus explorandus ut signum. IV. 23.
Purgandum in acutis raro. 1., 24.
Purgandum initio morbi, materia turgente. ibid. 22. IV. 1.
Per ea loca quae petit natura. ibid. 21.
Purgatio immodica periculosa. 1., 3.
Purgationem praecedat humectatio corporis. 1. 9.
Purgationis inferioris adhibendae signa. IV. 20.
Puris, sanguinisque mictio exulcerationis est signum. IV. 75.

Puris optimi conditiones. p. 1. 44.
Puris sputum phthisis sequitur. VII. 16.
A sanguinis sputo, malum ib. 15.
Puris quantum educendum sectione. VI. 27.
Pus dum fit, febris et dolor urgent. II. 47.
Interdum sine febre doloreque gignitur. ibid. 9.
Pustulae suppuratorum quales. p. II. 60.
Putredines quid. 111., 16.
Genitalium aestate accidunt. ibid. 21.

Q

Quartana qua maxime aetate invadat. p. 111., 29.
Æstate ingruit. ibid. 21.
Autumno quoque oritur. ib. 22.
Solvitur interdum haemorrhoidibus; largaque haemorrhagia. VII. 3.
Quartanaequaenam breves, quaenam longae. II. 25.
Earum productio. ibid.
Hibernae facile in acutos morbos transeunt. ibid.

Ordinem variantes citius desinere solent. ibid.
Convulsiones fere arcent, pelluntque V. 70.
Quartanae, sanguinis è naribus profluvium, inutile. VIII. 3.
Hoc tamen utile experiebatur Alpinus.
In Quartanam quaenam febres mutari solitae. p. 111., 28.

R

Rabies quaenam in acutis exitiosa. VIII. 16.
Rachitis. 111, 26.
Recidivae metus. IV. 51.
Refectiones nimiae periculosae. 1., 3.
Renum, et vesicae vitia in senibus difficilis solutionis. V. 6.
Renum, vesicaeve exulcerationem quaenam significent. IV. 75.
Repletio evacuatione curatur, et è contra. II. 22.
Residere velle in acutis malum, pessimum vero pulmone laborante. p. 1. 23.
Respiratio facilis in acutis magnum habet ad salutem momentum. ibidem. 28.

Difficilis cum delirio in acutis mortifera. IV. 50.
Duplicata in acutis mala. IV. 68., 54.
In morbis pectoris maximi facienda. p. I. 28.
Magna simul et tarda in acutis pessima, ibid. 27.
Frequens pectus indicat affectum. ibid.
Frequens est etiam interdum ob vitia aliarum partium. p. I. 27.
Visui facilis, aegrotanti perquam difficilis interdum accidit. ibid.
Frigida perseverans lethalis est. ibid. 28.
Respiratio difficilis multiplex. IV. 50.
Rigor quid. IV. 29.
Incidens non deficiente febre, aegrotoque debili lethalis est, ibid. 46.
Ex ebrietate, nisi recalescat aeger, exitiosus. VII. 7.
Sexto febris die apparens malus. IV. 29.
Quotidie accedens, quotidie febrem solvit. ibid. 63.
Ardentem febrem discutit. IV. 58.
Rigor nervorum. ibid. 57.

Ructus acidus, frequensque saepe pleuritidem arcet. VI. 33.

S

Sanguis in ventrem effusus putrescit. VI. 20.
E naribus fluens menstruis deficientibus, bonus. V. 33.
Sanguis, pus, squamulae cum urina excretae, pravusque odor, vesicae, renumve exulcerationem significant. IV. 81.
Sanguis sponte mictus venam in renibus ruptam declarat. ibid. 78.
Sanguinis è renibus, vesicaque provenientis signa. IV. 78.
Sanguinis profluvium convulsionem, singultumve movens, malum. V. 3.
Nocet ciborum coctioni. IV. 17.
Pueris familiare è naribus. III. 27.
Sanguinis haemorrhoidalis utilitas. IV. 25.
Sanguinem supra ferri, id est per os emitti, malum ibid. 25.
Sanguis supra ferri solet multipliciter. ibid.
Sanguinis sputum unde emanet signa. ibid.

Sanguis è pulmone quotupliciter sursum feratur. VII. 15.
Interdum sine tussi fertur. VII. 76.
Interdum etiam vomitu quasi quodam ejicitur. ibid.
Sanguinis è pulmone sputum non semper post se trahit puris sputum. ibid.
Sanguinis rejectio è pulmone phthisim invehit. VII. 75.
Hanc tamen non perpetuo gignit. ibid.
Neque, si gignat, eam aeque celeriter infert. ibid.
Sanguis spumans interdum ex hepate, utero, liene per pulmones extussitur. VII. 75.
Sanguinis sputum sine febre minus periculosum. ibid. 37.
A Sanguinis sputo puris sputum. VII. 25.
Ad Sanguinis sputum adstringentia caute usurpanda. ib. 37.
Satietas nimia periculosa. 11., 4.
Interdum sanis prodest. ibid.
Haec enim eos purgat. ibid.
Satietate utebantur veteres quidam ad purganda corpora. ibid.

Satyriasmi. 111., 26.
Senes crudi, viridesque dicti. 1., 13.
Facillime jejunium ferunt. ibid.
Quomodo nutriendi. ibid.
Senes decrepiti parum et saepe nutriendi. 1. 13.
Senes catarrhis cito extinguuntur. 111., 12.
Senibus proceritas corporis inutilis. 11. 54.
Senum morbi. 111., 31.
Sensuum internorum, auditusque abolitio in acutis lethifera. VIII. 16.
Serenitates imbribus salubriores. III. 15.
Sicca tussis, levisque per acutas febres sitim minuit IV. 54.
Signorum consensus ad praenotionem rite instituendam requiritur. p. III. 38.
Sincera dejectio quaenam. VII. 6.
Singultus à vomitu, oculorumque rubor, malum. ibid. 3.
A nimia purgatione in senibus perquam malus. ibid. 41.
Ex superflua evacuatione malus. IV. 3.
Ex hepatis inflammatione malus. VII. 17.

Somnus quomodo laborem faciat. II. 1.
Laborem faciens quando occidat. ibid.
Juvans fere est salutis praenuncius. ibid.
Delirium sedans, fere bonus. II. 2.
Modum excedens malus. ibid. 3.
A crisi interdum producitur. ibid.
Interdum trahitur post dolores. ibid.
Somnus multus, aestusque assiduus in acutis, exitialis. VIII. 15.
Somnus in acuta febre timores, aut convulsiones movens malum. IV. 67.
Neque noctu, neque die accedens, pessimum. p. II. 22.
Sopor interdum ex pertinaci vigilia. II. 27.
Spumosus sanguis è pulmone emittitur. V. 13.
Sputa mala quaenam. IV. 47.
Salutaria. ibid.
Suppurationis metum incutientia. V. 8.
Sputum flavescere in pleuritide, bonum. p. II. 44.

Cito, facileque ferri debet. ibid. 43.
Intense flavum, album, viscidum, rotundum, pravum est. ibid. 46.
Admodum viride, spumosumque, malum. ibid 47.
Nigrum omnium pessimum. ibid. 48.
Sanguinem in album, laeveque verti, optimum. p. II. 48.
Quod pulmo non projicit, malum. ibid.
Sputum flavo rubrum in pleuritide laudatur ibid. 49.
Foetens in suppuratis, mortale. p. II. 63.
Stercus periculosum quodnam. p. II. 20.
Sternutamentum in pulmonum inflammatione noxium. ibid. 50.
Partum adjuvat. V. 35.
Secundae exitum promovet. ibid.
Delirio accidens mortale. ibid.
Strumae. III. 26.
Stridor dentium in acutis praeter consuetudinem metuendus. p. I. 24.
In pueris dentientibus minus pe-

riculosus, quam in adultis. ibid.
Stupor ex ictu capitis malus. VII. 14.
Sudor ubi, ibi morbus. IV. 38.
Partis cujuspiam non semper malus ibid.
Per somnum multus unde. ib. 41.
Multus cum cibi fastidio quid postulet. ibid.
Febrim non solvens neque minuens, malum. IV. 56.
Assiduus suppurationis interdum est signum. ibid. 74.
Semper fluens purgationem desiderat. VII. 61.
Sudores saluberrimi quinam. p. 1. 29.
Quinam pessimi. IV. 37.
Frigidi in acutis mortem, in longis morbi longitudinem portendunt. IV. 37.
Quibus diebus fere salutares, quibus infidi, difficilesque. ib. 36. p. 1. 29.
Cum impetu erumpentes mali. VIII. 4.
Morbum producentes quinam. IV. 56.

Ob inflammationem, aut ob exsolutionem saepe fiunt. p. 1. 30.
Sudoris lethalis notae. ibid.
A Sudore horrescere malum. VII. 4.
Suffitus aromatum muliebria ducit V. 28.
Suppurati quinam. VI. 27.
Suppuratio cum sputo bilioso procedens, formidanda. p. II. 53.
Quibus diebus erumpat. ibid. 57. 62.
Qua parte pectoris delitescat. ibid. 59.
Quibus notis indicetur. p. II. 57.
Incipiens, ejusque signa. ib. 58.
Suppurationem quaenam maturent. p. I. 47.
Quinam effugiant, quinam moriantur. ibid. 56., 63.
Suppuratorum nonnulli 14. morbi die sunt in periculo. ibid. 58.
Suppuratio ex angina pulmonaris periculo non vacat. III. 21.
A dolore ventri diuturno. VII. 22.

Suppurationum intus excitatarum notae. ibid.
Abditarum causae. VII. 41.
Surditatem in febribus quaenam tollant. IV. 60.
Suspiria luctuosa in acuto morbo mala. VI. 54.

T

Tabes quid. III. 16.
Tabes, strictius phthisis, ut plurimum à 18. aetatis anno ad 35. oritur. V. 9.
Ad Tabem proclives juvenes. III. 19.
In Tabe exitiosum alvi profluvium. V. 14.
Foetens sputum, capillorumque defluxus signa sunt lethalia. ibid. 11.
Tabes autumno saepissime incidunt. III., 22.
Tabidis malus autumnus. ibid. 10.
Tabificos morbos gignunt squallores. ibid. 16.
Tempora autumnales morbos praesagientia. III., 4.
Tempora anni quibus aetatibus faveant. ibid. 18.

Temporum mutationes morbos pariunt. ibid. 1.
Tenesmus quid. VII. 27.
In gravidis periculum infert abortus. ibid.
Tertiana exquisita septem circuitibus fere finitur. IV. 59.
Testes, pudendaque retracta lethale in acutis periculum habent. VIII. 11.
Tetanus quid. V. Rigor nervorum.
Occidit saepe quarta die. V. 6.
Tetanum aestate frigidae quandoque perfusio solvit. ibid. 21.
Timor, moestitiaque perseverans melancholiae signum. VI. 23.
Per somnum in acutis malus. IV. 67.
Tremor in acutis febribus malus. VI. 26.
Interdum etiam criticus, salutarisque ibid.
In lethargicis pessimus. VIII. 8.
Tubercula, laboresve ad articulos longis in febribus. IV. 44.
Quibusnam arceantur evacuationibus. ibid.
Tuberculis in cute obortis excretiones considerandae. II., 15.

Tuberculi intus rupti accidentia. VII. 8.
Intus orti varia nomina. ibid.
Tuberculum in pulmone disruptum interdum extemplo necat. ibid.
Tuberculo in meatu urinario suppurato ruptoque solvitur dolor. VII.
Tumores molles boni. V. 67.
Ante mortem fere concidunt. p. 1. 25.
Externi laudantur parvi, eminentes, fastigiati in accutum: magni vero, planique damnantur. p. 1. 42.
Tumores articulorum, aliosque morbos interdum perfusio exstenuat frigida. V. 25.
Tumores vulneribus ulceribusque supervenientes saepe convulsionem, et delirium arcent. V. 65.
Ventris raro suppurant. p. 1. 40.
Aliquando in scirrhum, aliosque morbos transeunt. ib. 38.
Hypochondriorum saepe suppurant. ibid. 40.
Sub umbilico constituti rarissime suppurant. ibid.
In vulneribus non apparentes, malum. V. 66.

Tumores hypochondriorum per initia mortem proximam denunciant. p. 1. 34.
Tumorum internorum laudabilium signa. p. 1. 43.
Tumorum suppuratio quando expectanda. p. 1. 38.
Hi ipsi tamen elapsis 20. diebus solent suppurare. ibid. nisi haemorrhagia discutiantur. ib. 35.
Turgentia humorum. 1. 22.
Plerumque deest. ibid.
Tusses hieme maxime excitantur. III. 23.
In valde senibus curatu difficiles. 11., 40.
Siccae leviter irritantes in ardenti febri non admodum siticulosae IV. 54.
Tusses, et tubercula vere gignuntur. III. 20.
Tussis hydropi superveniens mala. V. 35. VII. 47.
Tympanitis hydrops. IV. 11.

V

Varices, haemorrhoidesque melan

cholicis furentibus opitulantur. VI. 21.
Variolae, morbillique ante mortem concidunt, pallent, liventve. p. 1. 25.
Vena ubi secanda ad urinae difficultatem. VI. 36.
Ventris nomine quid intelligendum. 1. 15.
Venter mollis mediocriterque corpulentus esse debet in morbis. p. II. 19.
Ventrem imum nimium extenuari in morbis, malum. II., 16. VIII. 5.
Ventris, lumborumque dolor pertinax in siccum transit hydropem. IV. 11.
Profluvium ex longo morbo, malum. VIII. 5.
Tumores qui crebro, qui raro suppurant. p. 1. 40.
Ventres hieme, et vere calidissimi. 1. 15.
Ventriculi dolor, aestusque ingens in acutis, malum. IV. 65.
Veris morbi. III. 20.
Vermes ascarides. ib. 26.
Verrucae quid. ibid. 26.
Vesicae laborantis indicia. VII. 39.

Exulceratae signa. IV. 81.
Affectae indicia sunt mictio sanguinis, urinaeque difficultas, ac dolor. ibid. 80.
Vesicae, renumve ulcus puris sanguinisque mictio indicat. IV. 75.
Vesicae, renumque vitia difficulter curantur in senibus. VI. 6.
Vesica tumida, dura, dolens cum acuta febre mortem minatur. p. II. 72.
Vesicae dolores inflammatorii ut plurimum exitiales. ibid.
Inflammatio solvitur pure albo, laevi, aequalique prodeunte. ibid. 73.
Quae purulenta non solvitur urina, vesicae inflammatio, brevi enecat. ibid. 74.
Inflammatio alvum siccam efficit. ibid. 72.
Inflammatio frequens in pueris. ibid. 75.
Vesicam inflammatam mala comitantia. II. 74.
Victus ratio in febrium circuitibus. 1. 19.
Victus humidus febricitantibus confert. ibid. 16.

Cautiones quas postulet. ibid. 17.
Tenuis apud antiquos qualis. 2. 4.
Tenuis periculosus morbis in longis. ibid.
Extreme tenuis qualisnam probabiliter fuerit. ibid. 4.
Plenior declinante morbo adhibendus. 1., 7.
Tenuissimus morbo convenit vigenti. ibid. 8.
In victu acutorum morborum quid observandum. ibid. 9., 16.
Nimium tenui errores graviores, quam in paulo pleniore. ibidem. 5.
Vigilia modum excedens mala. II. 3.
Vigiliae, somnique modum excedentium signa. ibid. 3.
Vigiliam longam somnus sequitur longior. ibid.
Vigilia pertinax interdum in soporem migrat II. 27.
Vigiliae per acutas febres quae mala pariant. VI. 18.
In acutis febribus assiduae delirium praesagiunt. p. II. 12.
Vigor morbi. 1., 8.
Purgationem respuit. II. 29.
Vinum famem minuit. ibid. 21.

Vires potenter instaurat. ibid. 21.
Sistit interdum vomitum ibid. 21.
Vini potio ad urinae difficultatem. VII. 48.
Vino jurulenta uberius nutriunt. II. 11.
Vitiligo quid. III., 20.
Visus saepe citius quam auditus ante mortem perit. IV. 49.
Ulcus quale ante mortem. p. 1. 25.
Ulcera in hydropicis aegre sanantur. VI. 8.
Diuturniora ossi abscessum solent parere. ibid. 45.
Ulcerum, vulnerumque tumores saepe convulsionem arcent. V. 65.
In ulceribus, vulneribusque orta pulsatio sanguinis movet profluvium. II. 21.
Unguium, digitorumque lethalis color. VIII. 12.
Vocis privatio e capitis dolore fere mortifera. p. III., 31.
Volvulus ex urinae stillicidio. V. 44.
Vomicae, tuberculique ruptio interdum repente soffocat. VII. 8.

Vomicae quibus rumpantur diebus. p. II. 57.
Vomitus frequens capitis dolorem non solvens pessimus. p. III. 31.
Cavendus in tabidis, inque ad tabem proclivibus. IV. 8.
Quibus periculosus hominibus. ibid. 7.
Blandis ciendus remediis. ibid. 4.
Quinam salutaris. 1., 2. p. II. 38.
Viridis, lividus, niger vitiosus est p. II. 39.
Lividus, foetidusque perniciosus. ibid. 51.
Vomitum quae indicent. IV. 12.
Imminentem quae presagiant. p III. 31.
Vomentes difficulter, crassique per inferiora purgandi. IV. 7.
Uretrae tubercula non semper suppurant. ibid. 82.
Urina minus morbi sedem, quam labor dolorve partis indicat. IV. 67.
Carunculas, capillosve habet saepe à renibus. ibid.
Furfuracea vesicam scabie veluti quadam affectam significat. ibid. 77.

Arenosa calculo vesicam laborare declarat. IV. 79.
Bullas habens quid indicet. VII. 34.
Cum alba nubecula laudatur, vituperatur cum nigra p. II. 29.
Tenuis crudum morbum significat. ibid. 30.
Foetens, nigraque, et crassa periculum ostendit. ibid. 32.
In adultis nigra, in pueris aquosa damnatur. ibid. 33.
Cui pinguedo innatat, hominem tabe consumi significat. p. II. 35.
Tenuis in acutis perseverans cum salutaribus signis abscessum fore significat. ibid. 34.
Urinae difficultas tollitur suppurato, ruptoque uretrae tuberculo. VII. 57.
Difficultatem venae sectio juvat. VI. 36.
Urinae in febribus turbatae dolorem capitis praenunciant. IV. 70.
Tenues aquosaeque in phreniticis malae. ibid. 72.
Distantes turbationem indicant. VII. 33.

Urinarum sedimina veluti farina crassior quid denotent. ibid. 37.
Nubeculae. IV. 71.
Tenujum pericula. ibid. 72.
Uteri erysipelas lethale malum in gravidis. V. 43.
Os compressum sterilitatem invehit. ibid. 46.
Os connivet, contrahiturve in gravidis. ibid. 51.
Haemorrhagiam sistit cucurbitula ad mammas apposita. ibid. 50.
Uterinae suffocationi sternutatio accedens bonum. ibid. 35.
Vulnera interna quaenam mortalia. VI. 18.
Vulneribus magnis pravisque si non superveniat tumor, malum admodum est. V. 66.

FINIS.

BIBLIOTECA DE
FERMÍN HERRERO BAHILLO